




Physica christiana, siue, de rerum creatarum cognitione & usu, disputatio e Sacrae Scripturae fontibus hausta, & decerpta,

<https://hdl.handle.net/1874/432350>



**Dit boek hoort bij de Collectie Van Buchell
Huybert van Buchell (1513-1599)**

Meer informatie over de collectie is beschikbaar op:

<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>

Wegens onderzoek aan deze collectie is bij deze boeken ook de volledige buitenkant gescand. De hierna volgende scans zijn in volgorde waarop ze getoond worden:

- de rug van het boek
 - de kopsnede
 - de frontsnede
 - de staartsnede
 - het achterplat

**This book is part of the Van Buchell Collection
Huybert van Buchell (1513-1599)**

More information on this collection is available at:

<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>

Due to research concerning this collection the outside of these books has been scanned in full. The following scans are, in order of appearance:


- the spine
- the head edge
- the fore edge
- the bottom edge
- the back board

Oct.
1898











Miscellanea Theologica

Octavo n°. 299





PHYSICA
CHRISTIANA,
sive,
DE RERVM CREA-
TARVM COGNITIONE
*& vſu, disputatio e sacrae Scripturæ
fontibus hausta, &
decerpta,*

Per Lambertum Danæum.

Ex dom Brugelii



GENEVÆ,
Apud Petrum Santandreamum.

M. D. LXXVI.

ΕΙΣ ΤΗΝ ΛΑΜΒΗΡΤΟΥ
τῆς Δασκάλου φυσικὴν Χερσιανήν, Ιάκωβον Αρπακίον
τῆς Σαζηνῆς διεργάτην.

Εὖ οἱ Πλάτων πρῶτος, μετὰ τότεν οἱ Νικομάχειοι
Οὐχαρ τῆς σοφίας ἀγρυπνίας κρυψίας.
ΟΓΡΕΙΟΥ συμπάντων προσειρίσαιν τὸν ἐλαχού μῆχος,
Οἱ πᾶντες ἀνθρώποις δύο μονάδας σοφίαν.
Εὖσαχα δ' αὖτε κείνων ἴδεις προσφέρει διανόος,
Ἐκ πηγῆς ἵερης τῶν σοφίην ἀρύνει.
Δίγματι πότε παλαιῶν λειτουργίας εἰκόνει μετέπειτα,
Ηδόστα συμφωνῇ γεζήμιαστο τοῖς αὐτοῖς.
Οἶγχν παραπομπὴ χάρειν ἴδιαν αἴρηματα ἔχει,
Δειπνοῦντι Χεριτῷ ἄποτέλειν σοφίαν.

ΕΙΣ ΤΗΝ ΑΤΤΗΝ,
Λίμναίς τοῦ Πήριου.

Οὐ βροτέος φύσεως ἐν δράσεις ἡπάτη δύτων
ΕΥρέιδηρα, δεῖχε τὸ ἔργυν Αρεστότελες.
Αὐλή τετταὶ σοφίην κανεύρεσσον. Καὶ σκαπή δὲ
Ἀμφιεξίας ἀχλαῖα μαρτυρίατο μεράνιν.
Νιῶ μὲν πατεύειτο δακτύος ὁδὸν ὑπεφύτη
Τὴν Χιτού φυσικὴν γενίστον ἐπιπροσφέρει.

GENERO SO DOMINO, D O-
mino Friderico a Nachod Domino in Da-
nouiz & Besko, &c. Domino suo &
patrono benignissimo.

Vetus est & nobilis de mundi origi-
ne & primo rerū ortu questio, Baro
generosiss. quæ non modo Philoso-
phorum, sed etiam Christianorū ingenia diu
multūque vexauit, adeoque tandem propter di-
uersa hominū iudicia dubia visa est, ut quid
de ea staruerent, multi, etiam autores grauissi-
mi, non haberent. Nā inter Christianos Ori-
genes in libris περὶ ἀρχῶν (quod ipsius opus pre-
ter cetera egregium plerique censem) & qui
post eum Examena scripserunt, ita in diuersas
sententias discedunt, ut nihil certi ex eorum
scriptis videatur definiri posse. Inter Philoso-
phos autem, homines Dei veritatisque igna-
ros, longe etiam maior est opinionum varie-
tas, ut quid in hoc argumento sit sequendum,
diuinetur potius, quam ex eorū dogmatis in-
telligatur. Ac de Philosophis quidem fortas-
se non tam est quod miremur, eos, cum verbo
Dei, id est, vera cognitionis luce destitueren-
tur, in tanta re cæcutiisse, & tantis tenebris im-

mersos vixisse. In Christianis autem non ea-
dē aequitate potest discordia dissensioque ex-
cusari, quia veritatis una est via, cuius in ver-
bo Dei certissima, si modo ad illud attenderet,
fundamenta videbant. Quānam igitur tanti
etiam inter Christianos ipsos de hac una re
dissidii caussa fuit? Profana nimirum Philo-
sophia, cuius tunc præceptis non tantum im-
buti, & tincti: sed farti, fascinata, & decepti
multi, nihil quicquam, quod istius (quam unā
maximi faciebant) artis decretis aduersare-
tur, admittendum aut concedendum putabat.
Atque hoc malū non solum veteribus & pri-
mis illis Ecclesiæ seculis durauit, quibus ple-
rique in scholis Philosophorum una cū ipso
lacte enutrii, & postea ad fidem Christi tra-
ducti, facile, quas iā imbiberant, & quas tan-
diu tamque studiose semel amplexi fuerant,
sententias deponere mutareque non poterant:
sed ne nunc quidem post Philosophorū nomi-
na extincta, ex multorū, qui Christiani dici
volunt, animis euelli potest, tum alte nimirū
istius profana Philosophia, admiratio vene-
ratioque quorūdam mortalium mentibus in-
sedit, tantiq[ue] est istis erroribus, tanquā veris
præceptis

praeceptis, a teneris, ut ait ille, assueuisse. Itaque non dubio fere, quin hic noster de Christiana Physica, id est, de emendandis ex Dei verbo Philosophorum decretis liber in multorum reprehensionem incurrat, habeatq; necesse summum aliquem & præstantissimum vi-
rū, qui sit apud omnes hominū ordines gra-
tiosus, pro se patronum adhibere, cuius auto-
ritate defensus, & fauore commēdatus, cutus
gratusque in manus hominum venire possit.
Tu vero is es, & quidem unus, Baro excellē-
tissime, cuius idcirco nomini, ut cunque loco-
rū spatiis abs te remotissimus, dico atque nun-
cupo. Ac certe in te sunt abunde omnia, que
ad omnes aduersariorū turmas propellendas
valent, si modo hoc opus tibi probabitur, tuū-
dūque suscepferis. Nam aduersus inuetera-
tum iam profanorum hominum in hac Philo-
sophie parte regnum singularem illam tuam
vereque Christianam animi pietatē fortiter
opponere, qua cum Deum vere, & ex puro i-
psius verbo colat, omniaque ad eam tāquam
verissimam normam, vii est, examinet & ap-
pendat, plus illi tuo lucido iudicio, quā omni-
bus cecis Philosophis tribuendum esse, nemo

dubitabit. Aduersus autem ceteros, insignē
illam tuam dignitatem atque auctoritātē, tan-
quam clypeum, obiciam, quæ abste infinitis
etiam in ipsas Deitum Boemicas, tum Mo-
rauicas ecclesias beneficiis apud omnes mor-
tales comparata, longe lateque per hominum
ora sparsa est, atque etiā ignotis tibi ipsi po-
pulis nota, quæ omnes leuum quorundā ho-
minū calumnias facile fūgore suo cōpescer.
Atque has tibi laudes abs me nō falso tribui,
cum omnes sciunt & fatentur, qui te norunt:
tum vero imprimis generosus ille tuus filius,
& non minus paternū virtutum, quam bo-
norū hæres Ioannes Georgius probat & osten-
dit, qui cū sūr & nativa quadā indole sua, &
doctiss. pientissimique viri Venceslai Lau-
ni præceptoris institutione & curatua probi-
tatis imago & virutis delineatio, quanta in
te ipso ille sint nullo iā negotio potest abs quo-
uis intelligi. Et certe nos omnes, qui hic viui-
mus tibi plurimū vel uno hoc nomine debere
profitemur, quod tantum singularis tui ergā
nos amoris pignus dedisti, nempe filium, de
quo optima queque speramus: & hoc summū
vestrarum ecclesiarum cum nostris in ortho-
doxa

doxa fide consensus testimonium extare vo-
luisti, qui ut perpetuo duret, nullisque homi-
num contemtionibus unquam abrumptatur,
Deum Optim. Maxim. precamur. Illa enim
tua de omnibus etiam longinquis nationibus
bene merendi voluntas, non modo singularis
quædam virtus est, sed etiā homine Christia-
no dignissima, quæ una omniū maxime ti-
bi familiaris est & propria. Quāquā vero &
generis nobilitate prætas, ut qui ex vestis
sono Nachosiorū (quas solas vniuersæ Na-
riscorum gentis celeberrime reliquias
esse puto) stemmate originem ducis: & Mo-
rauicae gentis bell'icissimæ (qui sunt Marco-
manorum populorum, hostiū etiam Romanis
ipsis florentibus formidabilium, successores)
laudibus nobilitatis, inter quos latissimam di-
tionem obtines: illa tamen tua exima, tibique
pene peculiaris humanitas longe excellentius
nomen tuum apud mortales omnes commen-
dabit. Quod autem ad libellum nostrum atti-
net, malo ex re ipsa, quam ex oratione mea,
quid quantumque viliutatis habeat, estimari.
illud modo dicam, in eo me breuiter comple-
xum, quicquid apud veteres & sanctissimos

*Patres vel contra Philosophos: vel aduersus
hereticos disputatum unquam legeram, nec
questionem esse a me ullam injectam, quam
antea illi non tractarint: nec ullam pratermiss-
sam, quae ad eorum scripta cognoscenda usum
aliquem videretur habere potuisse. In quo non
tam hominum curiositati, quam studiosorum
adolescentium utilitati abs me consultum fuisse
ingenue apud te profitebor. Itaque spero fore,
ut tua commotus autoritate filius tuus gene-
rosus Iohannes, & alii etiam principes adolesce-
tes diligenter huiusmodi studia capessant,
qua vobis tantis viris, nec quidem immerito,
probari cognoscent. Vale. Datum Calen.
Decemb. M.D. LXXV.*

T. E. deditissimus

L. Danicus Gallus.

I



PHYSICA CHRISTIANA,

S I U E,

DE RERVM CREATARVM COGNITIONE, ET USV,
Disputatio e sacra Scriptura fontibus han-
sta, & decerpta:

PER LAMBERTVM DANÆVM.

C A P. I.

Physica quid sit, & quotuplex

D. *Vnde* videlicet *est Physica?*

P.  *Est creationis, & distinctionis totius huius mundi & partium eius, causarum per quas talis exitit, itemque effectorum, quæ inde consequuntur, vera & ad Dei opificis laudem pertinens cognitio, siue tractatio.*

D. *Vnde vero hæc tuæ definitione sumis?*

P. *Duobus potissimum e sacra Scriptura.*
a.j.

ræ locis, quorum primus est Proverb. 30.v.4. Alter autem Genes. cap. i. in quibus illa quatuor breviter commemo- rantur quibus etiam ille locus addi po test, qui est Sapientie 7.v.17.18. ubi ea dem illa in hac scientia explicari aper- tissime traditur.

D. Hocne solo nomine ista cognitio ap- pellatur, an etiam alio?

P. Certe. Nam ex Paulo potest dici *τὸν ποιημένον θεοῦ Rom. I.v.20.* Ex episto- la ad Hebraeos, *τούτη τῆς φύσεως.* Denique rerum creatarum scientiam, *χρήσιας καὶ πειστικὴν*, tam apte & conuenienter denominare possumus, quam *χρήσις φύσεως φυσικὴ* est dicta, si modo vocis illius usus & tritus & receptus ab homini- bus Græcis vel Latinis esset.

D. Cur igitur Physicam vocas, quæ pro- fanorum Philosophorum vox est?

P. Duabus de caussis. Ac primum qui- dē quod non oporteat homines Chri- stianos esse tam scrupulosos, ne dicam superstitiosos, ut communibus & iis- dem quibus Ethnici, rerum vocabulis & ap-

& appellationibus vti reformident,
quando eodem sole, aëre, terra, aqua,
luce, cibis, ciuitate cum iisdē fruimur.
Itaque nec Scriptura ipsa ab hac voce
tanquam a monstro abhorret, vt appa-
ret Eph.2.v.3. 2.Petri.1.v.4. Et veteres
atque orthodoxi Patres hanc rerum
cognitionem passim Physicam appel-
lant, quemadmodum Basil. Chrys. Am-
brosius, August. in Ench. ad Laurent.
Physici (inquit) sunt qui rerum natu-
ram rimantur. Secundo autem loco
quod cum hæc vox φύσις ex communi
linguæ Græcæ vsu, iis fere rébus tri-
buatur quæ non sola essentia constant,
qualis est Deus: sed quæ etiam accidé-
tibus quibusdam adiunctis sunt com-
positæ, quales sunt res ex omnes quas
oculis usurpamus, & quibus hic mun-
dus conspicuus constat, proprie & cō-
mode videtur φύσις appellata esse ea
scientia, quæ in harum mixtarum, com-
positarum, & (vt ita loquar) materiata-
rum rerum tractatione versatur, vt di-
stinguatur a Theologia. Itaque φύσι-

*ne cest (aiunt ipsi) ἀρχὴ ματεῖα οὐ τοῦτος τὸν θεόν
καὶ ὅπου νοεῖς τούτον;*

D. Quotuplex est Physica?

P. Duplex. Vna enim illius pars est vniuersalis, altera vero particularis.

D. Quæ est vniuersalis?

P. Quæ generales & potissimas mundi partes explicat, earumque originem, naturam & caussas: quales sunt cælum & quatuor elementa, quod illa sint reliquarum partium comparatione velut prima principia, & caussæ ortus & compositionis rerum: sed & quæ cōmunem & generalem conseruationis & propagationis omnium rerum, modum & rationem tradit, est etiam ipsa pars Physicæ vniuersalis, quia tradit *καὶ στοιχεῖα*. Atque hæc Genes. primo cap. fere continetur.

D. Quæ est particularis?

P. Quæ singulorum generū (quæ in rebus his creatis & conspicuis distincta sunt) naturas, vires, proprietates, & effectus diligenter persequitur, quemadmodū quæ sit hominis natura, quæ equi

equi, quæ cuiusque generis animalium,
arborum, herbarum vires. Hæc autem
partim Medicinæ artis præceptioni-
bus continetur, partim iis tractationi-
bus, quæ historiæ animalium, & plan-
tarum, similibusque nominibus à scri-
ptoribus appellantur, cuius partes &
fragmenta quædam velut illustres gē-
mæ passim in sacra Scriptura sparsæ
collucent, integra tamen earum rerum
historia & vniuersa explicatio iisdem
libris minime comprehensa est: post-
quam Solomonis libri de singularum
rerum natura copiæ scripti, incuria
mortaliū sunt amissi.



C A P. I I.

Physica utrum homine Christiano digna.

D. **E**st ne aliqua Physicæ utilitas?

P. **M**ultiplex. Sed ne omnes (sunt
enim propemodum infinitæ) percur-
ram, afferam tantum quinque. Prima
a. iij.

est, quod ex ea Deum cognoscimus, non solum rerum omnium creatorem sed etiam aeternum, omnipotentem, beneficem, &c. Secunda, quod res ipsas creatas earumque vires & naturas per eam intelligimus. Tertia, quod nos ipsos videamus & agnoscimus quales sumus, quibus rebus & partibus constemus, & quae sit cuiusque partis nostrae, id est, qualis animi, qualis ite corporis nostri conditio: quod esse optimum, utilissimum, & praestantissimum cognitionis genus omnes homines fatentur. Quarta, quod haec Dei opera, tanta, tam varia, tam mira, animo contemplantes, & oculis intuentes, non nisi hac arte adiuti ad summas Dei laudes concinendas, & gratias agendas, zelo & impetu rapimur. Id quod etiam Galeno, quamquam prophano philosopho, accidit, ut post descriptam viuis Dei operis, id est, hominis, & partium corporis eius naturam, Deo hymnum caneret pene inuitus. Inde tot hymni, tot epodae, tot psalmi a piis viris scripti

pti & decantati. Quinta, quod hæc intelligentes multos sacræ Scripturæ locos, qui hominibus istarum rerum ignorantis sunt non tantum obscuri, sed etiam inaccessi & imperuestigabiles, facile & dilucide ipsi explicamus, & ingredimur libere. Itaque Physicā Theologo Christiano maxime utilem & necessariam scribit Augustinus. Quid dicam de animi voluptate, quam summā affert hæc cognitio, & de commodis, quæ hominum vitæ maxima præbet, & demonstrat?

D. Vnde ista esse probas?

P. Ex his potissimum sacræ Scripturæ locis. Psal. 104. toto. Psalm. 136. 145. v. 10. Psal. 147. 148. Job. 12. v. 8. 9. 10. 36. v. 24. 25. 26. Act. 14. v. 17. Rom. 1. v. 20. Quibus etiam hos addere licebit. Sap. 8. v. 9. & sequenti, & 13. v. 1. & sequenti. Sed & Basil. Chrysostomus, Amb. patres in Exameris suis idem docent. Denique pium illum & vnde cunque doctū August. in lib. de Doctrina Christiana, & lib. 8. de Gen. ad literā, cap. 8. a. iiiij.

D. Atvero obiciuntur quædā quæ Physicæ cognitionem non tantum inutile, sed etiam homine Christiano indignā, illique noxiam esse & periculosam ostendunt.

P. Certe. Et quanquam varij varia colligunt: omnia tamen ad duo argumentorū genera maxime referri possunt, quæ aduersus harum rerum cognitionem proferūtur: e quibus primum ab autoritate sumptum est. Alterum a ratione & turpi, siue nocentissimo cōsequenti.

D. Explica.

P. Primum varias sententias colligunt partim e Scriptura ipsa, partim ex Partibus Ecclesiasticis transcriptas, ex quibus postea ratiocinantur & concludunt.

D. Quænam sunt illæ?

R. Esacra quidem Scriptura hæc potissimum assertur, quæ in lib. Ecclesiast. cap. i. v. 13. scripta est his verbis: *Et dedi cor meum ad disquirendum & inuestigandum cum sapientia omne quod sit sub cælo.*

cælo. Hæc occupationē malam dedit Deus filii hominum ut occupet se in ea. Cui cōiungūt illud Pauli. I. Cor. I. v. 20. Deus infatuauit sapientiam huius mundi. Et si qui sunt alij loci horum similes : quibus facilis responsio parata est.

P. Quæ vero?

P. Nimirum illud quod est apud Ecclesiasten, non ~~āmāc~~ & absolute, sed ~~nārā~~ nō tantum & compare ad verum Dei cultum dictū esse. Neque enim damnat Solomon aut improbat veram cognitionem de rerum natura, quam illi summam Deus pro summo beneficio dederat (esset enim erga Deum hominum homo ingratissimus) & propter quam tum à Regina Saba, tum etiam ab aliis regibus vicinis colebatur. Sed si hæc Physica cognitio, cum vera pietate, si cum fide, si cum vero Dei metu, si cum interna animi regeneratione, si cum cognitione æternæ salutis & vitæ conferatur, est certe hac comparatione leuis quædā animi occupatio infructuosa & fatigans nos

potius quam conscientiam nostram sustentans, & cōfolans. Neque enim veram fœlicitatem adfert, quemadmodum fides in Deum, si quis in ea sese totum occupet, & quasi animum attērat. Quod autem ad Pauli locū, non video quo pacto Physicæ cognitionē oppugnet, cum sapientiam mundi damnat Paulus, non autem sapiētiā de mundo, & de rebus creatis. Sapientia autem mundi appellata est ea, quę carnis vitiosę & cæcę consiliis & rationib⁹ tota regitur, & acquiescit: nō ea, quę de rerum causis sobrie & quantū opus esset philosophatur.

D. Sed e scriptis Patrum quid afferunt, ut nos ab hoc studii physici genere deterreant?

P. Infinitum esset omnes eorum sententias velle percensere, aliquot tantum afferemus.

D. Recita eas.

P. Lactantius lib. 3. cap. 8. ita scribit: *Quę beatitudo erit mihi proposita, si sciero unde Nilus oriatur, vel quicquid Physici de cœlo*

*cælo delirant? Quid, quod earum rerū non
est scientia, sed opinio quæ pro ingenii va-
ria est? August. etiā laudatus, qui lib. 4.
de Trinitate in procēmio sic ait: Lau-
dabilior est animus, cui nota est infirmitas
sua, quam quia non perspecta vias syde-
rum scrutatur, mœnia mundi inquirit, fun-
damenta terrarum, fastigia cælorum. Et
ne omnia persequar, lib. de spiritu &
anima cap. 56. idem diserte dicitur.*

D. Habesne quod ad ista respondeas?

P. Maxime.

D. Ecquid vero?

P. Etiam hæc ipsa comparatè a Patribus
dici, quemadmodū apparet ex eo Au-
gust. loco, qui modò abs te laudatus
est. Arguebant enim Patres præposte
rum hominum studium, qualē in mul-
tis etiam nunc videmus atque adeo
viris Christianis, qui contempta salu-
tis doctrina, & spreto Euangelicæ ve-
ritatis, quæ simplici stylo vtitur, studio
se totos ad tumidas & inflatas istas de-
rebus Physicis artes conuertunt, illis-
que se addicunt, & ambitiosam Philo-

sophi Physici appellationē Christianæ
pietati, & Theologix aperte præferūt.
Itaque Patres ut a tanto isto errore ho-
mines reuocarēt, in Physicos Philoso-
phos, & in eorum artem & dogmata
multa, & vere quidē, dixerunt: quem-
admodum etiā Basil. & Chrysostom.
in suis Examenis. Ipsam autem earum
rerum cognitionem veram non dam-
nant, quam etiam ex iis quidam perfe-
ctissime atque pulcherrime calluerūt.

D. Quodnam est alterum argumentum
quod a consequenti sumi dicis, & ad-
uersus Physicam afferri?

P. Hoc nempe quod commemorat Ba-
silius, ab ignauis hominibus suæ incer-
tiæ & turpi ignorantia prætexi.

D. Ecquod vero?

P. Vilescere miraculum creationis mun-
di, in quo tamen summa Dei potentia,
maiestas, sapientia elucet, nobisque a-
dorāda proponitur, si arte aliqua me-
thodove a nobis tradi, & comprehen-
di tantum mysterium posse dicatur.
Quid enim istud aliud est (aiunt) quam
operū

operum Dei planè supranaturalium & diuinorum non modo capaces nos fingere, sed etiam iudices & tanquam censores cōstituere? Denique, Deum ipsum tanquam Grammaticum certis naturæ & artis legibus tandem subiicere?

D. Quid ad ea respondes?

P. Plane id ipsum quod eodem loco Basilius inter Græcos scriptores doctissimus.

D. Quid ille?

P. Tanto magis hoc Dei miraculū (quod in mundo creando apparuit) illustrari, & a nobis religiosius adorari, quanto illud distinctius explicatur, maior eius utilitas, & vis demonstratur esse. Et ut verum hoc esse alio exemplo intellegas, nonne decretum Dei de nobis saluādis passim in Scriptura arcanum & mysterium Dei appellatur? Estque certe, in quo nō minus quam in mundi huius creatione Dei potentia, maiestas & sapientia nobis proponitur, & hoc tamen sic dilucide ordine distin-

& e fides, siue Euangelium explicat, vt
nihil supra : nec propterea tamen mi-
nuitur Dei cultus & veneratio, quod
illud arte & methodo quadam theolo-
gica comprehendimus, sed tanto me-
lius ardentiusque Deum laudamus,
quanto commodius, & distinctius ista
fuerunt a nobis percepta : denique fi-
des ipsa, per quam coli vult Deus, est no-
ignorantia quædā, aut cōfusus de Deo
sensus, sed enodata & explicata animi
notio , quæ interrogata respondet de
Deo, & eius erga homines infinita mi-
sericordia. Ignoti enim (vt habet pro-
verbium vetus) nulla cupido. Ergo cū
historia creationis mūdi arte quadam
explicatur, cum vires a Deo insitæ re-
bus tractantur, non vilescit sed aug-
scit Dei miraculum. Quando nec ista
tradimus quasi profiteamur nos alias
istarum rerum caussas, præter unius
Dei voluntatem & sapientiam, allatu-
ros: vel in iis etiam ipsis tantum agno-
scere & animo consequi posse, quanta
est Dei ipsius potentia in condendis,
& boni-

& bonitas in tuendis. Vel tanquam velimus Deum optimum maximum summumque rerum omniū moderatorem vllis nostris legibus & placitis subiectum demonstrare , sed tantum, quantum arte iuuari possumus,in Dei operibus explicandis commode versari, & quasi admotis specillis ad istam rerum naturae scholam minus attentos in præclaro ipsarū studio retinere.



C A P . I I I .

*Physicæ cognitio vniuersalis unde
tutissimo habeatur.*

D. I Ntelligo ista:perge ad reliqua.

P. I Proximum est vt vnde hæc cognitio ducenda sit atque hauriēda,videamus, quoniam in eo nobis cum quibusdam non conuenit, qui tutius certiusque eam e profanorum Philosophorum libris haberi volūt, quam e sacris Scripturis, quod dicāt neque in Scriptura

vniuersam traditam esse, & si qua illius pars exposita est, confuse eam, non ordine arteve vlla tractari.

D. Vnde igitur tutissime Physicam scientiam haberri censes?

P. Eius quidem partis, quæ Physica vniuersalis a nobis appellata est, cognitionem potissimum e sacra Scriptura. Eius autem quæ particularis dicta est, e libris Medicorum, vel aliorum hominum, qui historias plantarum & animalium scripserunt.

D. Qua ratione id doces?

P. Primum illud (ut opinor) inter omnes sanæ mētis homines constat, quemque artificem posse omnium verissime & optime de sui operis ratione differere & loqui, esseque potius in ea re fidem illi adhibendam, quam cuiquam alij. At verò cuiusnam esse artificis hunc mundum censes? Alteriusne quam solius Dei? ut nemini potius, quam illi ipsi sui operis, id est, mundi creationem & rationem in suo verbo nos docenti sit credendum & assentiendum.

Denique,

Denique, quis verius rerum omnium caussas, momēta effecta, existendi modos & tempora quæ fuerint, scit, videt, nouit, quam qui ipse corum omnium autor est, & perpetuus administrator?

Qi cum sit Deus, quando ipse illa narrat, quis hominum tam vacors unquam erit, ut illum potissimum, ceteris etiam scriptoribus neglectis, non putet audiendum? Nos certè ac ne ulli quidem Philosophi, quantuncunque præstantes ingenio, & abundantes otio, diligenti studio inquirentes aliud quam obscuras quasdam & tenues Physicæ cognitionis scintillas assequimur, & quæcumque de iis rebus extra Dei verbum definimus, ita sunt incerta, dubia, vexata, inter se etiam pugnātia, & saepè ipsi veritati contraria, ut ita vel didicisse vel docuisse nos tandem pudeat. Id quod vel ex uno Plutarchi libro De placitis Philosophorum apparet, ubi ne duos quidem in rerum creatarum cognitione inter se unquam consensisse docet vir ille doctis-

b.j.

simus ac summus Philosophus.

D. Sed habesne quo tuam sententiam verbi Dei autoritate confirmes, e sacra Scriptura nimirum percipi & disci tuto & recte posse hanc cognitionem?

P. Certe.

D. Recita igitur.

P Primum testimonium est illud quod diserte his verbis in Epistola ad Hebreos scriptum extat: *Per fidem intelligimus constrūtum fuisse mundum verbo Dei.* Ergo fide ista intelligimus. Quod si fide, ergo per sacram Scripturam: nec enim fides sine illa Scriptura esse potest. Quare veram & certam earum rerum cognitionem a Scriptura sacra nobis demonstrari, est certo concludendum. Secūdum est, caput primum, Genes. Nam Moses ille, qui Dei iussu & præcepto, mundi huius, & originis rerum omniū præclaram illam & vere admirabilem Historiam conscripsit, aut vanus erit, aut mendax, si Physica cognitio Scriptura sacra non continetur. Quid enim aliud agit, quam ut ortus

ortus rerum, earumque vires, naturas,
& effecta, id est, Physicam breuissime
quidem, sed tamen verissime & ordi-
ne explicet? Tertius est locus ille Pro-
verbiorum 8. cap. 20. & seq. vbi omnia
per sapientiam Dei & condita esse, &
postea per eandem, ut sunt condita,
dicuntur conseruari. Quartum autem
testimonium Ecclef. 42. v. 17. *Hanc*
sapientiam Deus dedit suis sanctis, ait,
ut omnia ipsius miracula & opera reci-
tent, scrutentur omnia, abyssum etiam
ipsum, &c. Cui addere licet illud quod
est Sap. 7. vers. 22. & seq. Denique san-
ctissimum Dei martyrem & patrem
optimum Irenaeum audiamus, qui lib.
2. cap. 2. sic ait: *Cui igitur magis crede-*
mus de mundi fabricatione, hisne qui præ-
dicli sunt, sic fatua & incostantia garrien-
tibus, an discipulis Domini & fideli fa-
mulo Dei Moysi & Prophetæ, qui primo ge-
nesim mundi narravit? Idem Basilius,
idem Ambrosius, idem Chrysostomus
in procœmiis suorum Examenē plane uno-
que consensu confirmant, ut qui Phy-
b. ij.

sicam cognitionem e sacra Scriptura vere & commode disci posse negant, & sacrosancto Dei verbo, & doctissimis Patribus aperte repugnant. Denique audi Tertul. qui in Apologet. cap. 45. diserte & vere quidem pronuntiat Diuinam literaturam, quæ certe antiquissima est, thesaurum fuisse posteriori cuique sapientiæ. *Inde Philosophi*, ait, *sitim ingenii sui rigaverunt. Sed homines gloria & eloquentia solius libidinosi, siquid in sanctis Scripturis offenderunt, digestis pro instituto curiositas, ad propria opera verterunt.*

D. Nihilne contra afferunt qui aliter sentiant?

P. Duo potissimum argumenta.

D. Quænam illa?

P. Hoc primum. distingui cuiusque artis fines oportere, esse autem aliud Physicam, aliud Theologiam: hanc tantum sacrâ Libris contineri, illam autem alteram non eodem modo.

D. Estne illa consequentio & affirmatio vera?

P. Mi-

P. Minime quidem.

D. Quamobrem istud?

P. Quod quanquam vere illud sumunt,
distinguendas esse artes, & Theolo-
giam (quæ vitæ æternæ promissiones,
illiusque viam & caussas docet) sepa-
randam esse a Physica, quæ huius visi-
bilis mundi formationem, & rerum
quæ in eo sunt naturas explicat, tamē
illud iam nō recte negāt in sacra Scri-
ptura mundi huius constructionem,
rerum vniuersas formas, naturas & ge-
nera pleraque doceri, distingui, & or-
dine explicari. Ista enim omnia in ea
traduntur copiose, quæ est propria
Physicæ artis tractatio & materia. Er-
go Physica etiā his ipsis Literis sacris
continetur. Sed & alio quodam exem-
plo id ipsum discas licet. Nonne ab iis-
dem istis Theologia & Ethica philo-
phiæ parstoto genere discernuntur? Et
tamen quis eorū tam temerarius erit,
qui Ethicam, eamq; verissimam & vni-
uersam sacra Scriptura tradi negare
audet? Ergo distincti artiū, & tracta-
b. iij.

tionum fines non obstant quo minus eadē sacra Scriptura iisdemque Literis, & Physica illa vniuersalis, & Theologia sit cōprehensa, quia & ipsa Physica quodāmodo Theologiæ pars est, illique subseruit. Est enim Dei agnoscēdi ratio pulcherrima. Id quod iuxta mecum fatetur Ambrosius, Quid amplius? Ipsi illi Ethnici Philosophi, cum de mundo & eius fabricatione & partibus disputant, rerumque naturam edisserūt, dicūt se ~~magistri~~, quemadmodum in libro de Mundo loquitur Aristoteles, ut iam mirum non sit, si vera Christianaque Theologia etiam in Physicis rebus, earumque explicacione ex parte versari a nobis censetur, atque propterea sacra Scriptura in iisdem rebus tradēdis ex parte occupata est, quia ad Dei gloriam illustrandam hæ ipsæ artes etiam pertinent. Nam ex his conspicuis rebus Dei potentia, sapientia, æternitas cernitur.

D. Quod est alterum argumētum eorum qui contra sentiunt?

P. Hoc

P. Hoc nimirum. Quæ Moses scripsit ea simplicissime explicata esse, & eo dicens genere, quod sit omnino ad captum nostrum & ad humanæ imbecillitatis sensum attemperatum & accommodatum, non autem ad rerum veritatem expressum & exactum: denique quod accurate & subtiliter res ipsas, & earum naturas, neque scrutatur neque etiam exponat Moses. Itaque volunt aliunde hauriendam & descendam esse, veram, distinctam, & accuratam partis Physice cognitionem.

D. Quidnam ad ea respondes?

P. Fateor equidem a Mose, quanquam omnium qui vñquam vixerunt mortaliū doctissimo, res Physicas non ~~adscriptas~~, id est, calamistrato, & ampulloso quodam stylo descriptas, sed nudo & simplici, & ornatu omni, tanquam veste spoliato, quo facilius posset quiuis percipere quæ ipse scribēbat. Sed ut simpliciter loquutus esse concedatur, non tamen mendaciter,
b. iij.

falso & ignoranter quicquam dixisse, aut de iis rebus scripsisse conuincetur Moses. Aliud est igitur fateri stylum Mosis nudum & simplicem esse, qualis oratio veritatem decet: aliud autem falsum & mendacem eum affirmare, quod nemo potest, nisi perficitæ conscientiæ homo. Ergo simpliciter quidem, sed vere: nude, sed recte: populariter, sed sincere tradit quæ sunt nobis de mundo, eius partibus præcipuis, rerum causis & effectis credenda, tenenda, & docenda inter homines. Ingenuæ etiam fateor ad nostri sensus captum Mosem se attemperasse: nego tamen, quod illi aiunt, propterea ad rei veritatem illum non collimasse, nec attendisse. Fuit enim illi propositum, facile, nude, & vere illa scribere.

D. At quidam existimant illa omnia quæ ipse scriptit capite primo Geneseos allegorice interpretanda esse. Itaque neque sex illos dies esse temporum interualla putant, neque fœminam re ipsa

reipsa creatam ex Adami costa, neque reliqua ita accipiēda, quemadmodum verba Mosis præferunt & sonant. Quæ si vera est sententia, quid tandem erit tuti & certi in toto illo capite & similibus aliorum Prophetarum scriptis, quod ad Physicam cognitionem pertineat, & nos eam edocere possit?

P. Recte mones. Fuit enim hæc quorundam sententia, quam tamen refutat Augustin. tum lib. I. in proœmio, tum etiam 8. cap. 2. de Genesi ad literam. Sed diuus etiam Petrus 2. epist. sive cap. 3. vers. 5. & epist. ad Hebreos cap. II. v. 3. hūc Allegoristarū errorem aperte oppugnant, dum affirmant ea quæ Moses de mundi creatione edidit, ~~concretae~~ & plane dicta esse, non autem allegorice, & ~~metaphoricae~~.

D. Quid tandem ex superioribus omnibus efficis?

P. Illud nimirum quod libro 5. de Genesi cap. 8. cōcludit Augustinus. Hæc quæ scripsit Moses vera esse, licet

multis aliis rationibus demonstretur.
Nam si quis argumentari voluerit, quo ea
falsa esse conuincat, aut ipse nulla vera de
creaturarum conditione atque admini-
stratione dicturus est: aut si vera dixerit,
ista non intelligendo falsa putat. Quis
enim crebet Aristotelem vel Plato-
nem cognouisse de mundi creatione
& caussis rerum illa quæ ignorauit
Moses? Primum, qui de Dei ipsius
reuelatione secretissima illa accepit,
quæ scripsit. Deinde, qui in omni ho-
nestarum artium, in primisque Physi-
cas & Medicinæ cognitione (quæ duæ
artes tunc maxime inter Aegyptios
vigebant) eruditus fuit, quemadmo-
dum ait Scriptura Actor. 7. vers. 22.
Denique etiam quando qui primi in-
ter Græcos & summi Philosophi ex-
titerunt, illi ut Physica discerent in
AEgyptum discendi caussa venere,
quemadmodum de Platone & Pytha-
gora historiæ testantur. Atque plane,
(ut scribit Diogenes Laertius lib. 1. de
vitis Philosophorū) omnis ea pars Phi-
losophix,

losophiæ, quæ de natura rerum agit, ab exteris & Syris hominibus, id est, Iudeis ad Græcos manauit. Ergo dicimusne contra testatissimam Scripturæ fidem quæquam vel summorum Philosophorū, dicens causa, Platonem vel Aristotelem ethnicos fuisse à Deo adhibitos consiliarios ad mundi huius opificium & creationem, ut plura de ea illi sciuerint, quam seruus Dei Moses, quem Deus ipse docuit, & cui illa monstrauit, quæ posteriorum, impensisque Ecclesiæ sibi charissimæ instruendæ gratia in literas mitteret? Certe sine insigni in Deum ipsum blasphemia ista cogitari non possunt, nedum dici. Sed quemadmodum docet August. lib. 5. cap. 3. de Genesi ad literam, quod sic nude loquitur Moses, id facit certo Spiritus sancti consilio, & animi iudicio, ut *altitudine ipsa rerum superbos terreat, profunditate attentos teneat, veritate magnos pascat, affabilitate parvulos nutrit*.

S C O P U S . L O G I C A

C A P . I I I I .

*Physica Christiana & Ethnica
discrimen.*

- D. **V**æ igitur inter Moscam & Aristotelem, id est, inter Christianos Physicos & profanos in hoc doctrinæ genere est differentia?
- P. Multiplex, quæ tamen in tribus rebus maxime perspici potest.
- D. Quænam sunt illæ?
- P. Primum, in fine ipso huius cognitionis, quem utrique spectant & sequuntur.
- D. Istud explica.
- P. Christiani Physici qui de rebus creatis agunt, suæ disputationis suminam eo referunt ut verus ille Deus Optimus Maximus, qui earum omnium autor est, parens & conditor, agnoscatur, laudetur, celebretur, denique colatur ardentius, & magis timeatur. At Aristotelici & profani Physici ita de rerum

rerum natura disputant, ut in ipsis rebus tanquam infinitis gradibus & in certa quadam vi (quæ post earum creationem spectatur, & quam naturam appellant) toti inhæreant, altius autem non assurgat, neque ad Deum opificem his tanquam scalis concendant. Itaque causas secundas & tantum instrumentales pro veris & primis magno animi errore constituant. Eas autem quæ sunt præcipuae, qualis est Deus, iussus item & præceptum ipsius, omnino prætermittunt. Ergo faciunt ~~etiam~~ ex eo quod ipsi appellant ~~esse~~: ex quo sit, ut plena sit vanæ animi ostentationis, concertationis, & rixationis inter ipsos hæc pulcherrima scientia: Dei autem gloriam neque illustret, neque attingat, unde quamplurimi ex ipsis Physicis, tandem evadunt plane naturales, id est, animales, & ~~animos~~.

D. At Italici tamen Philosophi, qui Physica tractarunt, etiam ~~metaphysici~~ sunt appellati, quales Pythagorici prope

omnes, qui Dei opificis meminuntur. Anaxagoras a mente res omnes disponente orsus est disputationem de rerum natura. Libellus ille aureus de Mundo, qui siue est Aristotelis, quod non puto: siue Nicolai Philosophi, qui ante Plutarchum vixit: siue Alexandri Aphrodisiensis, qui postea: siue cuiusquam alterius, disputationem de Deo una cum rerum naturalium explicatione certe coniunxit.

P. Recte meministi. Fuit enim hic vetus mos primorum Philosophorum, qui etiam Graece Physica scripserunt, ut pote qui illa ab Aegyptiis vel potius Syris (ut ait Laertius) id est, Hebreis, vel eorum discipulis didicerant: sed qui sequuti sunt postea Philosophi, quantum hoc genus & modum rerum Physicarum tractandarum irriserint, & quam longe hos e scholis Physicorum exploserint non ignoras. Aristotelica enim natio hodie regnum obtinet, & qui nunc Physici vero nomine se dici volunt, neque de Deo opifice disputant

disputant ipsi in Physicis, neque dispu-
tandum censem. Itaque Ionicorum
Philosophorum Physica inualuit in
scholis: Italicorum autem reiecta est:
qui quidem Ionici naturæ rebus ipsis
inherēti, & rebus creatis, veluti cœlo,
Soli, & elementis caussas rerum gi-
gnendarum primas & præcipuas tri-
buunt.

D. Quænā est alia inter Christianos Phy-
sicos, & Aristotelicos differentia?

P. In caussis ipsis explicandis, quarum
cognitio, tractatioque maxime ad
Physicam pertinet.

D. Quomodo?

P. Primum Christiani tum eas caussas
quæ vera sunt, afferunt, tum etiam o-
mnino alias quam illi. Nam veras af-
ferre quis dubitet, cum ex ipsius veri-
tatis, id est, verbi Dei fontibus eas ha-
beant & didicerint? Alias autem &
plane diuersas caussas eos statuere res
ipsa & vtrorumque disputationes de-
monstrant. Nam nos Deum ipsum
primam rerum & efficiētem caussam,

& vere quidem profitemur, docemus,
& agnoscimus: tum deinde vocē eius
& praeceptum per quod vis quādam
cuique rei iniecta est, uti potentissi-
mam caussam spectamus, quæ est om-
nibus aliis caussis quæ à nobis cogita-
ri aut fingi animo possunt, superior &
prior. Tertio denique loco vis illa
rebus insita & data à Deo pro caussa
statuitur à nobis, sed quæ sit tantum
secunda atque instrumentalis, non ipsa
per se agens, ut docet Isaías 44. v. 3-4.
non præcipua, sed aliunde, nempe a
Dei potentia & præcepto tota pen-
dens, sine qua Deus agit eadem, cum
vult, quæ per eam ipsam solet efficere.
Sic cum gallina incubat ouis, e qui-
bus postea nascuntur pulli, quid ipsa
aliud est quam nudum Dei instru-
mentum? cum ipsa nec cor, nec caput,
nec pedes pulli sui formet in oui te-
sta, qua continentur, sed tantum ea
custodit & calefacit. Sic cum mulier
grauida vterum gerit, formatne ipsa
fœtum suum propriis manibus, quem
postea

postea parit? Certe non. sed seminis a
viro iniecti tantum velut cista, fotrix
& custos est. Deus autem & virtus so-
nusque vocis huius, Crescite, & multi-
plicamini & replete terram, qua in
perpetuo vigore adhuc est, fœtum in
muliere format, fingit, & producit.
Philosophi vero hanc caussam non
agnoscunt. Illi enim hanc ipsam vim
datam rebus, posteaquā conditæ sunt,
primam esse rerum omnium caussam
volunt. Itaque effectam caussam pro
efficiente substituunt, instrumentalem
pro agente: qui pessimus in Physico
error est. Deinde quia captum huma-
ni ingenij tenuissimum illum quidem
non subiiciunt inscrutabili Dei sapien-
tiæ, sed Deū sibi ipsis, suoque captui,
harum omnium rerum caussas, & or-
tum pro animi sui figmento somniant
fuisse, Deum illum incomprehensibili-
lem opificem cuidam ferrario vel li-
gnario artifici similem fingunt: tum
deinde materiam illi ab æterno sub-
sterni, & præparari: demum formam

c.j.-

accedere (est enim rudis illa materia & informis ex eorum sententia) atque ita materiam & formam primarum naturalium principia ponunt. Quam dissimillimarum rerum comparationem merito irritidet & reiicit Augustinus, quæ ut nihil de Deo magnifice sentit, ita planè cum rerum ipsarum veritate, & mundi huius creatione pugnat.

D. Que verò tertia differentia est inter profanos & Christianos Physicos?

P. Illa est in ipsius artis tradendæ ratione modo & ordine.

D. Istud explica.

P. Christiani & pii homines, quales Dei prophetæ, quāquā sæpe quidē vario ordine pro argumēti a se suscepiti ratione res has visibiles enumerat, modo a summis ad ima, modo ab imis ad summa progredientes, quemadmodū apparet ex Psalmo 104. 136. Proverb. 8. vers. 23. 24. & seq. 4. Esdr. 5. vers. 38. & seq. in cantico puerorum vers. 53. & sequen. semper tamen agnoscunt eum esse

esse verum rerum & creationis earum ordinem & modum, quem Moses descripsit. At Philosophi cum pro ingenij sui libito mundi huius originem singant, inter se nullo modo consentiunt, unde rerum naturalium disputatio sit inchoanda. Eorum igitur alij a materia quadam prima eam ordiuntur, & nobis inuehunt: alij a quatuor elementis tantum: alij a Chao, & eius distinctione: alij a cœlo, alij ab abyssō ebulliente: denique quot capita, tot sensus, & habet in ea quæque Philosophorum familia, quod non tantum ab alia dissentiat, sed sēpe eiusdē sectā & familie homines a seipsis.



C A P. V.

*Physice cognitionis certitudo quæ
& quanta su.*

D. **H**actenus ista, aliud autē subiice.
P. **H**ecquid vero?

c.ij.

D. Quæ sit huius cognitionis firmitas & certitudo.

P. Certe in omnibus ipsius partibus, non est vna & eadem definiendi, & statuendi ratio. Nam quæ in hac arte & cognitione ex Dei verbo discimus, & haurimus, illa sunt certissima & verissima, quia certissimo innititur fundamento, cui qui contradicit, ille ad agnatos, ut dicitur, erit nobis relegans. Quæ autem præter Dei verbum de rebus Physicis afferuntur, illa iam non sunt tam fixa, & firma, quia humanae rationis vel sensus iudicio tantum confirmantur: quæ duo non sunt inconcussa, & ~~etiam~~ fulcimenta. Sæpe enim humana ratio falli solet: sæpiissime etiam sensus. Itaque recte sentiunt qui Physicæ cognitionis eius, quæ ex Dei verbo non discitur, fundamētum duobus hisce firmamentis potissimum stare volunt, humana nimirum conjectura, & historica experientia: in quibus etiam ipsis, quemadmodū scribit in Enchiridio Augustinus,

cap.

cap.9. Physici plura opinantur, quam
sciant.

D. Estne propterea vana & omnino in-
certa ea Physicæ pars, quæ extra Dei
verbum traditur; estne etiam, ut qui-
dam putant, contemnenda?

P. Minime quidem.

D. Cur ita?

P. Quia nō frustra Deus hæc duo ~~quæ~~ dedit hominibus, animi scilicet ratio-
nem, & sensum corporis, ut docetur
Iob.12. ver.12.34. v.3. cuius utriusque
iudicium, si non in omnibus certissi-
mum est, & satis perspicax, non est ta-
men semper mendax & falsum in o-
mnibus. Itaque tāquam omnino vana
& falsa damnari non debet ea tracta-
tio quæ iis duobus erit subnixa & con-
firmata. Quis autem spernendam tot
pulcherrimarum rerum & artium co-
gnitionem merito dixerit, quas Deus
præter verbi sui scripturam largitus
est hominibus, etiam Ethnicis? qualia
multa Plato, multa Aristoteles, multa
Galenus, multa alij Philosophi, tum
c.iiij.

veteres tum recentiores, inuenere, & docuere. Hoc qui spernit, dona Dei spernit, quibus etiam pri homines quidam a Deo fuerunt aliquando exornati, ad magnum suæ in nos bonitatis testimonium & humanæ naturæ miraculum, quemadmodum Moses ipse, tum Iobus, tum quatuor illi collocutores, Solomo Rex, Ethan Ezraelita, He man, Calcol, Dorda, Ionathā patruus Davidis, quos omnes Scriptura collaudat, & nominatim commemorat ad imitandum. Acto. 7.ver.22.i. Reg. 4. vers.30.31. Psal.38. & Psal.89. i. Chronic.27.vers.32.



CAP. VI.

Physica cognitionis fines.

D. **H**abeo de certitudine huius scien-
tiæ satis: explica qui fines, & mo-
dus nostræ in ea cognitionis esse de-
beat.

P. Hi duo erūt fines. Primum ut ex præ-
cepto

cepto Pauli quæcunque in hoc scien-
tiæ genere disputantur, referantur ad
vnius veri Dei Opt. Max. gloriam &
cognitionem. Est enim hic humanæ
Philosophiæ pulcherrimus & verissi-
mus finis, ut per eam ad veritatis &
natu ræ diuinæ agnitionem peruenia-
mus, quemadmodum etiam Plutar-
chus scribit. Alter autem, ut ne temere
incerta pro certis sequamur, & affir-
memus. Est enim errare & labi cum
semper turpe, tum vero in his rebus
turpissimū, quæ sepe sunt magni mo-
menti, & in quibus profiteri quod ne-
scias, honestum & humanū est. Itaque
recte, meo quidē iudicio, in libris de
Genesi ad literam Augustinus, *Huius
uniuersi*, ait, *Dei creature multa non no-
nuntrunt, siue quæ in cælis sunt altissimæ, quam
ut noster sensus ea possit attingere: siue quæ
in regionibus terrarum sunt fortasse inha-
bitabilibus: siue quæ deorsum latent in
profundo abyssi.* Ista vero de rebus in-
certis certo pronuntiandi temeritas
fecit, ut a multis Physici irriderentur,

a qua nobis tanquam a magno ambitionis humanæ veneno est abstinentium. Est igitur, præsertim in hac arte, curiositas vitanda, sobrietas adhibenda. Agnoscamus enim nos longe inferiores Deo, nec omnium, quæ ille fecit, rationem & causam inuenire posse, ut ait Iren.lib.2.cap.43.& 45.



CAP. VII.

*Physica cognitionis subiectum, est creatura
visibilis & aspectabilis: ac primum
quidem mundus ipse quarenus
est earum universitas
quædam.*

D. **Q**uid sit Physica, & quotuplex, intellexi, vnde etiam ediscenda, item quæ huius cognitionis veritas, & qui fines: altius iam ingredere, & mihi ecquod sit hujus ipsius tractationis obiectum, siue materia, circa quam versetur, expone.

P. Fa-

P. Faciam, ac lubens.

D. Quænam igitur huius artis & cognitionis est materia?

P. Creatura, & quidem non omnis, sed ea tatum, quæ est ~~ex~~ ⁱⁿ, id est, nobis conspicua, id ipsum est, quæ uno aliquo, vel omnibus corporis nostri sensibus percipi potest.

D. Vnde ista probas?

P. Duobus potissimum sacræ Scripturæ locis, quorum unus est Rom. I. v. 20. vbi res naturales ~~ex~~ ⁱⁿ ~~naturæ~~ appellantur, distinguunturque ab iis quæ eodem loco vocantur ~~ex~~ ⁱⁿ. Alter autem est Hebr. II. cap. 3. vbi etiam eadem ~~scriptura~~ nominantur. Quāquam quod est scriptum in libro Sapient. cap. 7. v. 17. 18. & 19. & cap. 13. v. 2. hoc ipsum poterit illustrare & confirmare, si superioribus locis coniungatur.

D. Explica hæc ipsa paulo latius.

P. Hoc igitur dico. Nō omne illud quod est, & quod Græci vocant ~~m̄os~~, pertinere ad Physicam tractationem. Nam Deus est, habetque non tantum ali-

quam, sed verissimam, & ~~veritatem~~ & ~~veritatem~~
 addo etiam, si ita loqui libet, ~~admodum~~
 (quid enim vetat cum Petro, 2. Petr.
 1. vers. 4. ~~quoniam~~ id est, naturam Di-
 uinam dicere?) cuius tamen explicatio
 ab alia, & augustiori quidem arte,
 quam ab ista petenda est. Nam est
 Deus creator & ~~mensura~~ rerum, non au-
 tem creatura & ~~mensura~~. Solius autem
 creature natura & vis traditur hac
 cognitione & scientia.

D. Sed vniuersale creaturæ?

P. Minime id quidem. Nam Angeli ex
 creaturarū genere sunt, neque perti-
 nent ad Physicos, quanquam eos na-
 turam habere vulgo dicunt omnes, &
 passim occurrit apud Patres hęc lo-
 quendiratio Angelica natura. De qua
 īcirco Moses toto illo primo Gen-
 seos capite non egit, quanquam ibi v-
 niuersam Physicæ materiam breuissi-
 me est complexus.

D. Atidem de tenebris eodē cap. primo
 egit, quæ res certe videri non possunt,
 & tamē ad hanc tractationē pertinent.

P. Recte

P. Recte iudicas. Pertinent enim ad rerum naturam explicandam, sed ~~etiam~~ ^{ad} causam, id est, per accidens, quia neque luminis, neque primæ rerum coagulationis ratio dilucide tradi potuit, nisi ex suis contrariis, vel potius ex priuatibus illustrarentur. Tenebræ enim quatenus sunt mera priuatio, ad hanc artem per se proprieque non pertinent: quatenus autem quendam in rerum natura usum & locum habent, & vim Dei maiorem in Mundi huius creatione ostenderunt, recte a Moysi commemorantur. De qua tota re infra.

D. Collige igitur quæ volebas, quæque effecisti.

P. Cum neque Deus, neque Angeli ad Physicos, nostramque hanc disputationem spectent, restat, ut materia huius cognitionis propriæ dicatur esse ea tantum creatura, quæ conspicua est, & localis, ut loquitur Augustinus, & corporea, & sub sensu nostros, vel omnes, vel aliquos cadit.

D. At Philosophi plerique fere omnes aliud sentiunt: putant enim huius artis subiectum esse rem eam, quæ mobilis est, quatenus mobilis est, non autem quatenus vel creata est, vel nobis conspicua.

P. Ita est. Sed in eo dupliciter errant. Primum, quod cum significatio motus sit ex eorum ipsorum sententia latissima, ut ad Angelos etiam pertinere possit, quatenus & loco super Dei iussu mouentur, & ex prima sua origine (magna non tantum loci, sed naturæ etiam eorum facta immutatione) ceciderunt, certe disputatio de illis esset Physicæ scientiæ pars, & propria, id quod tamen ipsi pertinaciter, & vere etiam negant. Hic primus est eorum error. Secundus, quod Physica cognitio non pertineret, ad eas res quas videmus, si quæ ex iis essent immobiles, veluti quæ nec interirent nec mutarentur. Quod cum homini propter peccatum post ipsius creationem perfectamque naturam maxime acciderit,

derit, certe existorum sententia, nec homo ante peccatum magna ex parte esset res Physica, nec de eo tractatio ad Physicam referretur. Quod quam sit falsum, apparet ex Pauli dicto: qui omnium rerum quæ oculis cernuntur, cognitionem & Physicam esse vult, & gradū ad Dei ipsius agnitionem primum & obuium. Apparet item ex eo, quod hominis puri & nondum peccatoris natura a Mose inter res Physicas recensetur. Apparet denique ex variis Psalmis, vbi inter rerā verissime Physicarum genera, homo hominisque natura, etiam qualis a Deo cōdita est, enumeratur Psal. 8. Psal. 104. Psal. 139. vers. 13. 15. 16. Psal. 148. Denique quid aliud sibi volunt, qui corpus Mobile huius cognitionis subiectum constituant, quam quod unius & eiusdem artis duo subiecta, nimirum corpus ipsum, & eius ~~motus~~, (qui est Motus) esse docent, cum tamen vii arti unum tantum subiectum sit tribuendum?

D. Cur igitur Philosophi eas res quas

Physicas vocat, ex motu præcipue definierunt?

P. Primum, quod eorum cognitio omnis sit, quemadmodum ipsi loquuntur, a posteriori, non a priori. Res enim tum demum nosse cœperunt, postquam ipsi extitere, & res omnes iam erant creatæ, atque etiam per peccatum hominis effectæ caducæ, id est, erant ad miseriam & interitum iam a Deo destinatæ. Non animaduerterunt neque viderunt, cum essent Dei verbo & luce destituti, quales primum conditæ fuerant. Itaque cum in rebus hisce Physicis iam corruptis versari cœpissent, maximas & perpetuas carum mutationes, fluctus, fluxusque & ~~mutac*tion*is~~ viderunt, & ex ea una conditione res Physicas æstimandas esse voluerunt. Deinde cum motus & mutatio possint facillime & generalissime obseruari in hisce rebus omnibus, quas cernimus quæque sunt in hoc mundo, facile fuit ex motu res Physicas distinguere & definire. Est qui-

quidem motus in omnibus rebus Physicis, sed etiam in aliis, quæ Physicæ non sunt, inest, quales Angeli: vnde sit ut ex motu res Physicæ a non Physicis proprie separari secernique non debeant.

D. Cur tu vero rem ex eo quod conspicua ipsa sui natura est, Physicam appellas?

P. Quia cum summa duo rerum genera, ad suam gloriam condiderit Deus, uti sæpiissime docet Augustinus, ynum visibilem, alterum inuisibilem, visibilem vel tantum genera complexus, & persequutus est Moses in Physica sua tractatione, quæ cap. I. Geneseos extat, & ea sola tota Scriptura pro Physicis agnoscit. Quare ex eo quod sunt visibiles, quemadmodum diximus, res Physicæ sunt definitæ. Inuisibia autem & siue ea moueantur, siue non, ut non Physica ad aliud artis genus plane reuocantur & reducuntur. Atque ad huius

meæ sententiæ confirmationem infinita pene veterum, Basilij, Chrysostomi, Ambrosij, Augustini dicta congererem, sed in re tam aperta quid est opus?

D. Intelligo ista: & , vt video , ita vis & sentis ea omnia esse proprie artis Physicæ materiam & obiectum , quæ sunt Dei creaturæ & sensibus nostris perceptibiles & conspicuæ , siue aspectabiles.

P. Tenes.

D. Iam igitur singula ista defini , vt tota hæc disputatio , methodo quadam & ordine procedat.

P. Faciam.

D. Quid est creatura?

P. Est res omnis , quæ neque a seipsa est , neque semper fuit , sed & aliquando , & a Deo producta est. Ita enim viri docti dicunt , & meo quidem iudicio , recte.

D. At Paulus Rom.8.v.20. videtur aliter docuisse , sic nempe , vt sit creatura res ea quæ vanitati , corruptioni , & seruituti

tuti propter peccatum sit subiecta
quam eandem definitionem sequitur
in lib. de Trinitate Hilarius.

P. Pulchre meministi. Sed Paulus non
definit illic quid sit *Creatura* in vni-
uersum & per se, sed qualis nunc est
post peccatum, & quantum ad argu-
menti suscepti rationem fuit tunc ne-
cessarium. Itaque vnam tantum *Crea-
turarū* speciem spectabat: nec definit
Paulus *Creaturā* a vera ipsius natura,
sed tātum a qualitate & accidente, in-
herente quidem, sed tamen quod su-
peruenit creatis iam rebus, id est,
creaturis iam existentibus, sed quæ
plenam perfectamque naturam suam
iam propter peccatum hominis ex
parte amiserant. Quod ipsum respon-
deri debebit si quis nobis illud Au-
gustini obiiciat, quod est in libro
contra Felicianum, capite 7. *Creatura*
est ex eo, quod adhuc non est, aut ali-
quando non fuit, rei cuiuslibet corruptibi-
lis (quantum in se est) per omnipotentis
Dei voluntatem facta substantia.

d.j.

D. Commodius igitur & verius, quid sit in vniuersum creatura aliter definiiri censes.

P. Certe quidem. Nam neque beati Angeli vere creaturæ dicerentur, neque etiam nos ipsi, si in illo primo & integro statu suo Adam permanisset, recte vocarentur creaturæ, si posteriores definitiones retinentur: futuri enim eramus incorruptibiles, & omnis vanitatis expertes. Denique caro ipsa Domini nostri Iesu Christi non recte diceretur esse creatura, quemadmodum ab Augustino saepè appellatur: & res ipsa testatur eam fuisse creaturam. Nam ab omni infirmitate per se libera potuit esse, quia a peccati labe, & corruptione illa fuit immunis, nec propter suum peccatū fuit morti subiecta: et si tamen Christum carne mortuum esse confitemur. Ergo omnia illa, quæ sunt sane absurdissima, sequentur eos qui pertinaciter nobiscum pugnabunt. Vnde huius vocis, creaturæ, vis, & notio latissima, & verissima est illa,

illa, quam nos supra adduximus, & hoc loco sequimur.

D. Estne vero ex tua definitione creatura nominanda, tum ipsa rerum essentia, tum earum vires & proprietas, tum etiam adiuncta? veluti in homine est essentia quædam, quæ corpore & anima constat: inest in eodem vis etiam & proprietas per quam ratiocinatur, agit, operatur, sentit, mouetur, ambulat. Sunt vero etiam adiuncta quædam, quæ sunt pars *ὑποτελείας*, in singulis hominibus & individuis & quæ secernunt & constituunt illud diversum ab aliis eiusdem speciei individuis, quæ in scholis Conditiones individuantes appellantur. Et quæ denique etiam illis ipsis *ὑποτελεῖς* sunt, ut hic viuant necessaria, qualis locus, tempus, color faciei, statura corporis, & reliqua huiusmodi, quæ essentia ratione Dialectici accidentia vocant. Peto igitur abs te, utrum illa tria rerum genera, nimirum essentiam rei, proprietatem, & accidens, inter

d.ij.

se quidem, ut vides, distincta, creaturæ nomine complectaris.

P. Sic est. Nam quicquid a Deo primum insitum est rebus, vel ex naturali quadam consequitione iis adiunctum, & ab eo creatum in hac rerum vniuersitate, siue illud substantia sit, siue nominetur accidēs, Creaturam appello. Quanquam videtur Moses illud vel solum vel maxime rerum genus persecutus quæ sunt & appellantur substantiæ, quas solas fateor primum & per se ad Physicum pertinere. Quicquid autem ab eo non est profectum, sed ab hominis arte, vel facto, vel mala detortave voluntate additum, illud non voco creaturam Dei, ac ne creaturam quidem. Nec enim creatura esse potest, nisi quæ a Deo, qui est unicus Creator, producta sit. Ergo artificia hominum & eorum opera & effecta, saepè quidem præstantissima, ad hanc artem non pertinebunt: sed nec peccatum hominis, nisi per accidentem, & quatenus primæ & puræ rerum

rum naturæ magna per illud immutatio facta est, quæ etiamnum hodie in rebus omnibus, imprimisque in homine, quod est pulcherrimum Dei opus, apparet.

D. Creatura vero quomodo a Græcis appellatur?

P. Appellatur *κύριος*: quāquam apud Græcos ea vox nō tantum rem ipsam conditam significat, sed etiam sæpe Dei conditoris actionem, sæpe etiam rei conditæ conditionem, qualis nunc est qualemque cernimus.

D. Intelligo ista. Sed quid vocas *κέρα*, vel conspicuum, cum creaturam *κέρα* materiam Physices dixisti?

P. Non illud tantum quod oculorum sensu percipi potest, qualis est substantia, lux & color (quanquam id vox *κέρα*, proprie videtur significare) sed quod aliquo alio corporis sensu, veluti tactu, auditu, olfactu, gustu cognoscitur & tractatur : veluti odor, sonus &c. Res autē corporeæ omnes, maximiè *κέρα*, id est, visibiles appellantur, q[uod] visus sit
d. iij.

omnium corporis sensuū certissimus, pulcherrimus, atque nobilissimus: & quod rei viuentis actiones, & vitæ ipsius argumēta potissimum oculorum sensu deprehenduntur, qualis est motus & respiratio. Denique quod quæ sunt corporea, oculis melius iudicantur quam gustu vel auditu, adeo ut dicere Creaturam ^{ex m.} & conspicuam, esse materiam artis Physicæ, perinde sit atque sentire & velle, omnem creaturam sua natura sensibilem, esse verum & proprium illius obiectum: siue ea quidē corporea sit, quales sunt rerum substantia: siue non, quales sunt rerum vires, proprietates, qualitates, motus, & actiones, quæ rebus ipsis corporeis natura primaque earum creatione & origine vel extrinsecus adhaerent, vel etiam intrinsecus inhærent, illisque iniecta sunt. Sunt enim hæc omnia genera, rcs, uti diximus, Physicæ & naturales, & a Deo creatæ.

D. Teneo ista. Dic vero quam varie quotque modis has creatureas tractet
&

& consideret Physicus Christianus.

P. Duobus omnino modis, nimirū quatenus ex vniuersæ vnō aliquo complexu & toto tanquam corpore ambi-
ente sunt comprehensæ, qui Mundus
appellatur: vel per sua quæque gene-
ra, eaque diuersa, sunt ex distinctæ &
scorsim separatæ. Id quod sex die-
rum creationis historia particularis
tradit.

D. Quomodo id doces?

P. Quod sēpe Scriptura res visibiles &
creatas omnes nobis Mundi nomine
proponit. quemadmodum Is. 38.v. II.
Ioan. I.v.9. 9.vers.3.). Sēpe easdem di-
stincte & sigillatim, ad multiformem
illam Dei sapientiam ostendendam
predicat, quemadmodum Psal.104.
147.vers.8. Psal.149. Itaque de illis ut
traque hac ratione nobis quoque a-
gendum est, vt quæ ad Dei agnitio-
nem & gloriam ex rebus his creatis
percipi & cognosci possunt, atque e-
tiam debent, abunde, quemadmo-
d. iiiij.

dum Scriptura docet, a nobis intelligentur, tandem euadamus Physici vere Christiani.

D. A qua vero ex his duabus methodis prius est ordiendum?

P. Ab ea ratione & tractatione quæ nobis res omnes uno illo corpore, qui Mūdus appellatur, vniuersæ comprehensas proponit.

D. Cur istud?

P. Quia & generalior est & facilior ista docendi via. Nam tota sunt suis partibus notiora: facilius enim domum ipsam totam videris, quam singulas eius partes oculis distinxeris, vel animo comprehendenderis. Deinde quæ de toto ipso Mundo dicta erunt, ad particulares de quoque rerum genere tractatus viam & aditum nobis præbebunt. Erunt enim tanquam sequentium fundamenta.

C A P.



C A P . V I I I .

Mundus quid.

D. **I**c igitur de Mundo.

P. **D**Cupio.

D. Quid est Mundus?

P. Mundi significatio varia est, & multiplex quemadmodum etiam docent Philosophi, vti Laer.lib.7 & Plutarch.lib.1. De placitis Philosophorum, quæ certe primum omnium est distingueda, ne decepti vocis ambiguitate, vel ludamus in tota hac disputatione: vel fallamus.

D. Quot igitur sunt huius vocis significations?

P. Tres in primis. Primum enim Mundus accipitur pro rebus ipsis creatis, quibus hæc tota machina visibilis constat. Sic accipitur Ioan.1. vers.10. sic 2.Petr.3.vers.6. Præterea pro ea conditione vitiosa & misera, quæ ex peccato hominis cōtracta omnibus hisce

rebus communiter nunc inhæret, in
qua manifestissima ~~amēia~~ inest, sum-
maque rerum perturbatio. Sic Ioan. 2.
v. 16. 5. v. 19. Denique sumitur pro vna
quadam mundi parte, eaque nobilis-
sima, & præstantissima, nimirum pro
hominibus tantum, saepe quidem pro
omnibus. Rom. 5. vers. 12. Ioan. 3. v. 16.
Saepè autem pro solis renatis & fideli-
bus, 1. Ioan. 2. v. 2. Saepè etiam pro re-
probis & infidelibus. Sic 1. Corinth. 1.
v. 21. Ioan. 14. v. 17. & 22. Alias etiam si
huius vocis Mundi notionem ad certa
capita reuoces, dixeris, Mundi nomi-
ne aliquando locum ipsum, aliquan-
do substantiam rerum, aliquando ho-
mines ut præcipuam illius partem, ali-
quando eiusdem illius partis, id est,
hominum depravationem intelligi.

D. Atqui mundus a Latinis propter pul-
cherrimum in eo rerum omnium or-
dinem nominatus est, vti a Græcis
~~νόμοις~~ ab ornatu, quæ certe nominis
ratio, cum ea significatione pugnat
qua rerum confusione & vitium
Mundi

Mundi nomine aliquando denotari dicas.

P. Veram tu quidem huius vocis Mundus, notationem affers, a qua tamen postea usus tum Græcæ, tum etiam Latinæ linguæ deflexit. Nam cum homines animaduerterunt rebellionē inesse generaliter in rebus mundi omnibus, eam etiam Mundi nomine significarunt, quia inseparabiliter per eum totum diffusa est, & singularum rerum tanquam medulis infixā. Qua ratione homines sœpe appellantur hominum communis fōrs & miseria. Hebræi autem appellant mundum οὐλα Golum (quod Apostoli vertunt ^{οὐλα} Hebr.ii. v.3. i.v.2. Ephes.2.v.2) non quidem ab aeternitate, quasi fuerit semper & ab æterno mundus, sed potius a fixo & certo illo ordine, quē dominus Deus post res cōditas in eo cōstituit, quemque hodie inesse & in eo durare cernimus, qualis ortus & occasus Solis, quatuor anni tempestatum mutatio.

Atque ille durabit donec hic rerum status erit, vti appareat ex Genes. 8. vers. 22. 9. v. 9. 10. & Iob. 26. v. 10. Ecclesiast. 8. v. 11. Itaque cum præterierit hæc Mundi atas & figura, & hic quoque rerum ordo peribit, 1. Corinth. 7. v. 31, 2. Petr. 3. v. 4. 7. sed tamen ad illud usque tempus duraturus est. Nam aliquando desitrum esse hunc Mundum fatis aperte ipsi illi Hebræi significant, cum eundem vocant & dicunt חַדֵּל Chadel. Psal. 39. v. 5.

D. Quia igitur notione, quove ex illis tribus significato mundus accipi in hac disputatione debet?

P. Primo.

D. Quid vero est Mundus?

P. Mundus est non tantum omnium harum rerum visibilium comprehensio, & coaceruatio quædam, sed ordinatissime sapientissimeque a Deo facta earum in sua quæque genera & spatia distinctio, cuius extrema duo posuit cœlum & terram.

D. Vnde istam tuam definitionē probas?

P. Pri-

P. Primum iisdem illis Scripturæ locis quibus huius artis materiam docuit esse hæc conspicua & visibilia omnia: tum deinde ex eo quod mundi huius totam compaginem ordinatissimam Mundi nomine Scriptura fere solet designare, veluti Genes. 24. v. 22. 2. v. 4. Matth. 11. v. 25. &c aliis pene infinitis.

D. Cur vtrunque hoc in tua definitione complexus es, esse Mundum non tantum comprehensionem quandam, sed eam quæ iam distincta sit.

P. Quia si res vniuersas quibus hic Mundus constat cogitemus animo confuse, & inordinate congestas, vel adhuc iacentes, & nondum dispositas, sed tāquam rudera quædam collapsæ domus, vel tanquam ædificandæ paratam tantum materiam, huiusmodi rerum aceruus nondum potest Mundus appellari. Est enim potius illud quod Græci Poetæ & homines Chaos dixerūt: Hebræi autē τὸν Bohu, id est, indigesta moles, vnde vocē ipsam Chaos quidam deductam putant, facta leui

figuræ vnius literæ ȝ. in ȝ. mutatione,
quasi si pro Bohu Cohu Græci homi-
nes exaudissent, linguæ Hebraicæ fasti
diosi auditor es & discipuli imperiti.
Inde etiā nota est illa Latine loquen-
di ratio, quam Verrius doctissimus
grammaticus annotauit, vt Choum
veteres Mundum dixerint, & verbum
inchoare deductum. Sed ab Apostolo
Mundus hic ^{oī̄xōv}, Hebr.3. v.4. id est,
familiae bene ordinatae nomine dona-
tus est, neque est Chaos.



C A P. IX.

*Mundus utrum recte & Christiane
vocetur Vniuersitas.*

D. **S**ed quod hic Mūdus a quibusdam
Latinis Vniuersitas appellatur, a
Græcis autem τὸν τάν, & τὴν θάλατταν, tibine
probatur?

P. Et si doctissimis atque pientissimis
quibusdā viris tam superbū nomen
displícere

displícere scio, quia tamen graues autores, atque etiam Ecclesiastici patres & scriptores eo vocabulo sunt vſi, e- quidem reſſciendum nō censeo. Nam & August. in Enchir. cap. 10. & lib. 8. cap. 25. de Genes. ad literā, & Tertull. alicubi & Irenaeus lib. 2. cap. 12. hanc vocem pro Mundo usurpare non reformidat, ne & Ambrosiu & Basilium tibi laudem, & fortasse ex Hebr. 3. v. 4. eorum ſententia confirmari potest. Quanquam enim præter hunc viſibilem Mundum alia sunt Dei creature, & ex quidem plurimæ eximiae & pulcherrimæ, quales ſunt Angeli, & beatorum hominum ſedes, videturque omnino arrogans & audax appellatio, vniuersitas, quo tamen ſenſu hoc ab illis dicatur, & a nobis debeat exaudi- ri intelligut omnes, vt ſit hic mundus vniuersitas, non omnium quidem Dei creaturearum, ſed conſpicuarum tan- tum & corporearum.

D. Haec tenus de nomine Mundi: nunc de re ipſa videamus.



C A P. X.

*Mundus, & quæ in eo sunt, Vtrum
solida corpora, an tantum
umbræ quædam.*

D. **Q**uænam igitur de Mundo doceri ex sacra Scriptura possunt?

P. — Varia quidem, & omnia scientia dignissima, quæ ad Dei opificis laudem & admirationem pertinent, e quibus alia Mundi ipsius naturam explicant, alia vero caussas.

D. Ecquæ vero naturam Mundi, & totius huius universitatis explanant.

P. Hæc fere quæstiones quæ varie vel ab hereticis vel a Philosophis agitantur.

D. Quænam ex iis prima est?

P. Vtrum Mundus hic, & quæ in eo continentur, sint substantiae, id est, solida quædam corpora, & vere, reque ipsa subsistentes naturæ: an vero umbræ tantum

tantum quædam, & rerum spectra & imagines.

D. Cur id vero?

P. Quia non modo Plato vult, quæ hic sunt, omnia, esse idearum quarundam imagines, & umbras tantum verarum naturarum, quæ sunt in cœlo, & subsistunt in Dei mente: sed etiam Valentinianni heretici contendunt, quæcunque sunt in hoc Mundo, esse tantum nudas æonū suorum imagines, spectra & umbras euanidas. Ad quam suā sententiam confirmandā adducunt quod est apud Paulum 1. Corinth. 7. vers. 31. Præterit figura huius mundi: quasi vana sint spectra minimeque solida quæcunque hic a nobis etiam oculis cernuntur, quale quid descripsit ille his verbis:

*At n̄ docta comes tenues sine corpore vitas
Edoceat volitare causa sub imagine formas,
Irruat, & frustra ferro diuerberet umbras.*

D. Habesne quod ad ista respondeas?

P. Maxime.

D. Quænam illa?

e.j.

P. Primum quod ad Platonicum, valere cum iubeamus, quia non modo Academicus est & pendens animi in omnire, incertusque: sed etiam ethnicus, & qui nihil pertineat ad nos Christianos: qui sunt enim foris, nihil ad nos, ut ait Paulus. Sed quod ad Valentianos, qui se Christianos dici voluerunt, isti optime refutantur gravissimeque reprehenduntur ab Ireneo li.2. cap.7. operis aduersus heres instituti. Quanta enim ex ea sententia absurda, & incommoda consequuntur, vide. Oportebit enim confiteri res illas & ideas caelestes, quarum haec terrestres, ex istorum sententia, sunt umbrae, esse corpora, quod est absurdum. Nec enim rerum mere spiritualium imago esse potest, quae sit corporea. Deinde totum hoc pulcherrimum Dei opus, qui Mundus appellatur, erit spectrum & mere somnium, non autem res ea quam esse nos existimamus. Quod est blasphemum. Postea videre, palpare, sentire, nihil plane aliud

aliud erit, quam falli, decipi, & instar
furiosorum & ebriosorum hominum
ægrotare & somniare, & nihil erit hoc
ipsum quod esse dicitur: cibi ipsi, quos
edimus, erunt figmenta: homines ipsi,
quibuscum ver sicut, erunt umbras:
t: rra, quam calcamus, umbra euana,
non autem solidum quoddam corpus
& elemētum. Denique Christus ipse,
qui similis nobis factus est, fuerit ho-
mo imaginarius tantum, non verus,
quare passio eius imaginaria. Et quo
pacto melius furor ille Marcionita-
rum ab inferis reuocari potest? Erit
denique contra quam tamen yetus
proverbium habet, vita ipsa homi-
num fabula, Mundus theatrum.

D. Quid ad Paulum respondes?

P. Non fauere eum Valentianis. Ne-
que enim loquitur Paulus de ipsis re-
bus & earum natura, qualis sit: sed
de earum tantum conditione, & statu,
quam sit momentaneus & leuis, ne
illis inhærcamus.

D. Tu vero quomodo sententiam tuam probas?

P. Præter ea quæ superius absurdissima fere demonstrauimus, & ipsa rerum experientia comprobatur: illud etiam accedit, quod aperte nostram sententiam confirmat, nempe dictum Petri, 2.Pet.3.v.10.& 12.Psa.102.v.25.26. Denique omnes illi Scripturæ loci in quibus Dominus ipse testatur se fundasse terram, creasse res: non autem euanienda spectra, & inania rerum simulacra oculis nobisque illudendis obiecisse.



C A P . XI.

Mundus utrum unus an plures.

D. **I**ntelligo, dic quæ secundo loco de Mundo quæri solent.

P. Utrum Mundi sint plures, an vero tantum unus.

D. Etiamne quidam Mundos esse plures volunt?

P. Cer-

P. Certe. In quo ipso duplex est eorum sententia.

D. Expone.

P. Quidam enim plures esse sentiunt, eosque diuersi generis. Alij autem plures, sed eos omnes eiusdem naturae.

D. Quidnam primi illi sibi volunt, qui mundos esse diuersi generis censem?

P. Illi constituunt mundos duos, quorum unus sit ^{realis} & idealis, qui etiam vere subsistit, sed supra hunc mundum: alter vero ^{symbolic}, id est, terrenus & typicus, ad illius spiritualis & idealis mundi formam & speciem a Deo effictus, qui & ipse subsistit quoque, & est mundus hic quem nos mortales incolimus.

D. Etiamne ista quidam dicunt?

P. Plane. Atque iij quidem non tantum Philosophi profani, qualis Plato, Philo Iudeus, & Plutarchus in libro de facie Lunæ: sed etiam graues viri, & inter Christianos scriptores non contemnendi.

¶ Estne vera istorum sententia?

c. iij.

P. Minime quidem. Nam istius idealis, quemadmodum vocant, Mundi Scriptura nusquam meminit; & qui ita sen-
tiunt, de Deo nimium pueriliter, ne
dicam contumeliose, loquuntur, quasi
de ignaro & tyrone quodam opifice,
qui nihil nisi ex obiecto sibi exem-
plari fingeret & conari possit, nihil au-
tem queat ipse per se meditari, nihil
animo cogitare, nihil absque rei re-
presentatione intelligere. Quæ omnia
quam bene cum Dei omnipotentia &
incomprehensibili illa sapientia con-
ueniat, ipsi viderint, ego quidem non
video. Denique iste mundus spiri-
tualis ubinam tandem locorum, &
quoniam modo subsistet, utrum in
Dei mente tanquam substantia in sub-
stantia? Certe non potest. Nam Deus
est simplicissima illa natura, quæ pro
fus nihil, nisi seipsum, habet & com-
pleteatur: utrum tanquam accidens &
informatio quedam aut phantasia di-
vine mentis? Neque etiam id potest.
Deus enim non admittit eiusmodi
accidens,

accidēs, qui cum videt præsentia, non abstrahit rerum obiectatum formas & imagines: cum cogitat & meditatur, non ex uno ad aliud progeditur: cum operatur & agit, non ad speciem prius efformatam in animo opus suum considerat & examinat, ne erret.

D. Atqui præcepit Dominus Moſi, vt ad exemplar quod illi ostensum fuerat in monte, omnia faceret, Exod. viii. simoquinto, verſ. 40. Hebr. 8. verſ. 5.

P. Primum quidem excipiam si velim de rebus cœlestibus tantum illic agi, non autem de Physicis. Deinde, alia est ratio Dei creatoris sapientissimi: alia Moſis creature & hominis communī aliorum hominum cœcitatī & infirmitati obnoxij. Itaque ut quæ iubebatur, recte administraret huiusmodi exemplari opus habuit Moſes. Sed nec hoc ipsum exemplar quod in monte ostendit illi Dominus recipia subsistebat, vt quoddam ~~statim~~ esset, e. iiiij.

mea quidem sententia: sed fuit huiusmodi repræsentatio quædam & imago, quales rerum futurarum imagines multe postea Prophetis, & antea Abrahamo, & Patriarchis fuerunt a Deo obiectæ.

D. Qui plures mundos eiusdem generis esse contendunt, quid conantur?

P. Hoc nimirum, quod quemadmodum nos hunc inhabitamus, ita alij alios, in quibus & alia terra sit nostræ similis, & cœli alij, & alias Sol, Luna, resque omnes illis & nobis eadem. Itaque alij eos mundos infinitos esse numero censem, alij autem plures, alij pauciores eos faciunt. Inter quos sunt numerandi Epicurei, & Democritici Philosophi.

D. Suntne vero mundi plures?

P. Apagesis infinitatem istam vel multitudinem mundorum. Nam unus est non plures: et si de eo ipso ex Clementis epistola quadam Hierony. disputat in suis commentariis ad epist. Pauli ad Ephes. 2. v. 2.

D. Doce

D. Doce me cur ita sentiendum putas?

P. Primum quidem, quia cum sacra Scriptura accurate præcipua opera Dei visibilia reciteret, ex quibus ipsius maiestas & omnipotentia facile percipi possit, vnius tantum huius, non ullius alterius mundi meminit. Qui si essent plures, certe commemorasset. Pertinebat enim ea maxime res ad Dei gloriam, & potētiam illustrandam. Deinde quis secundi aut tertij istius Mundi status sit, ordo, cōditio, lapsus, constantia, Saluator & Iesus, quæ item vita æterna, & a quo eiusdem sit salus nusquam explicatur, neque qua ratione a Deo hi alij Mundi facti sint, & conditi: sed de hoc uno hæc omnia solum dicuntur. Ergo aut ab alio quodam Deo mundos illos factos fuisse oportet, aut extitisse per se ipsos, quorum utrumque plane blasphemum est. Aut si ab hoc eodem Deo creati sunt a quo hic, quem nos incolimus, cur reticet Scriptura? Certe ratio huius tam invidi & periculosi silentij probabilis nul-

la potest afferri. Vnde sit ut re&ceteres senserint & collegerint unum esse Deum, quia unus est mundus, contraque unum esse mundum, quia unus est Deus. Præterea tota hæc variorum & multorum mundorum architectatio quā futilis est & inepta? Cur enim plures condidisset Deus, qui unico & eo quidem latissimo poterat omnia eviam commodius complesti, quæ illis diuersis & separatis mundis fuit comprehensurus? Atqui (ut vere & vulgo dicitur) nihil agit frustra Deus & natura, & frustra temereque per plura fit, quod potest perfici per pauciora. Nā etiam si plures numero condidisset Deus, illi mundo tantum, non autem specie differentes & dissimiles inter se essent. Cur igitur ille condidisset sæpius idem? Denique cum eadem Scriptura sepe articulum & addat cū de mundo loquitur, non plures sed unum tantum, cumque certū esse Ioan. 1.vers.10. demonstrat. Est enim certæ rei significans articulus ille qui adiungitur.

iungitur. Quod si plures mundi esse concedantur, eadem ratione numero infinitos esse fatendum est. Prætereo enim absurdia illa, quæ tamen necessario inde consequuntur, nullas fere unquam eclipses, & defectus lunæ vel solis. Imo vero neque noctes fore, cum sol semper aliquis alterius mundi vel exoriretus nobis nostro occidente, vel medio coeli spatio splenderet et atque illucesceret, nostro eclipsin & umbram subeuntem.

D. At cur plures mundos non creauit Deus?

P. Non *infinitus* certe, & importunitia quadam, quando ipse est omnipotens. Non quod exhausisti in tante molis fabrica ipsius sensus, ut defatigatae iam vires essent: verbo enim solo omnia condidit, Psalmo trigeminotrio, Non quod etiam materie, ut censem Peripatetici, inopia & penuria id evenerit, quod tota quæ fuerat preparata, materie in tantæ machinæ corpore consumpta sic. Potuit enim qui hunc

tantum mundum ex nihilo primum creavit, ad alios infinitos materiam sibi, si vellet, præparare. Sed ea sola de cauſa mundi plures conditi non sunt, quia Deus ipſe noluit. Nam quæcumque voluit, fecit, Ps. 115. v. 3. Cur autem noluerit, ignota nobis ratio esse potest, iniusta tamen non potest, honc autem mundum esse nobis, ad summæ suæ tum misericordiæ, tum etiam iustitiæ celebrationem & laudem, satis magnum argumentum ipſe vidit, qui omnia nouit, itaque hunc solum fabricauit, & fecit.



C A P . X I I .

Mundus hic utrum finitus.

D. **S**ed estne hic Mūdus finitus, quemadmodum disputant quidam?

P. Non vñus modò est, sed etiam finitus & terminatus.

D. Quomodo probas?

“

P. Quia

P. Quia illud est finitum, cuius extrema
diserte & perspicue demonstrantur,
Scriptura vero constituit cælum &
terram huius Mundi extrema & fines,
quorum illud extimum est, hæc citi-
ma, ut Exod. 20. v. 11. Genes. 2. v. 2. & a-
liis locis apparet. Quare quin sit fini-
tus, certe dubitari non potest. Præ-
terea quæ inter creatorem ipsum &
creaturam notaretur differentia, si ut
ille infinitus, & immensus est: ita &
creatura esset in immensum patens &
fusa. Denique infinita duo consti-
tuentur, quod plane esse & defendi nō
potest.



C A P. XIII.

Mundus hic utrum sphericus & rotundus.

D. M ^Emini quæ hactenus a te confir-
mata sunt, esse nimicum hunc
mundum ^{universum}, non ^{universum}: esse unum,
non plures: esse denique finitum quan-

dam massam & comprehensionem, non autem infinitam, adde alia quæ restat.

P. In primis hoc queri solet. Quæ sit totius huius mundi, & in primitus corporis haec omnes suo complexu continetis formæ, quoniam alij rotundam siue sphæricam eam esse volunt, ut Aristoteles: alij ad ~~conoides &~~ figuræ similitudinem circunuebam, & multis angularibus vndique fastigiatam, ut Plato: alij ad pellis extensæ modum planam, & late porrectam, ut Basilius: alij aliam, eamque diuersam constituant, ut tradit Græcus autor Cleomedes in tit.

metu mundum spacio

D. Ecqua vero ex iis sententiis vera est?

P. Deus ipse nouit. Nos autem qui ex eius verbo ista aperte definita nusquam legimus(nisi forte quis illud afferat quod est scriptum Iob. 22. ver. 14. & sphaerae terræ sit mentio Is. 40. 22. Iac. 3. v. 6. vt probet mundum hunc & cœlum extimum velut circulū & rotam rotundam esse) sepe in contrarias sententias discedimus & distrahimur. Orem autem esse mundum mihi

plane sit probabilius ex eo, quod est
scriptū, quemadmodum dixi, Job. 22.
v. 14 & Eccl. 24. v. 8. tum quod ea sit o-
mnium & pulcherrima & capacissima
forma, qua certe ambitū hunc tot tan-
taque suo sinu cōplete etem efformari
oportuit: tū etiam q̄ p̄cipuæ & tan-
quam integrales huius mundi partes
quæ sunt cœlū aqua, & terra, ipsiis sen-
tibus diiudicantur esse circulares &
sphaericæ, quibus totum ipsum Mundi
ambitum figura simile esse, credibile
est: de eo tamen quid indubitanter af-
firmē non habeo, cum etsi citima hæc,
& inferior pars circumferentia, quam
cernimus supremi cœli, & omnia am-
bientis curva, connexa, & orbicularis
esse cōcedatur, potest tamē singi exti-
ma & superior eiusdem circumferentia
pars alterius esse figuræ, & scio qui tym
panoides esse extremū cœlū dixerūt.

D. Atqui apud Isaiā dicitur cœlū ut te-
la, & cortina expansum, & diffusum,
Isa. 40. vers. 22. cui consentit quod est
Pſ. 104. ver. 2. ergo planitiei simile est,
cum figura est orbi & circulo plan-

contraria. Nam orbis in se vertitur & conuoluitur.

P. Sane vterque locus abs te laudatus non figuram, sed finem cœli explicat, quod propterea ita a Deo terræ superiectum & superextensum dicitur, tum ut cōmodius sub eo tanquam sub pulcherrimo & latissimo tecto homines habitarent (Vnde & nos Galli huiusmodi vēlamenta cœlum vernacule, *vn ciel, appellanius*) tum etiam ut hoc quasi velo qnodam oculis obiecto homines arceantur, ne in mysteria & arcana illa diuina altius & curiosius penetrant atque inquirant.

D. Sed cum eadem Scriptura sacra superiorē ab inferiore loco in hoc mundo aperte distinguat, veluti Isa. 55. v. 9. 10. sphæricus aut circularis videri nō potest. Neque enim in circulo quicquā supremum, quicquam imum dici solet, cum a centro ad circumferentiam ductę līneę omnes sint æquales, & ipsa circumferentia quaquauersum sit in cumbat, & semper superiori sit loco.

P. De

P. De hoc postea atque etiam amplius.
 Sed quod ad tollendam animi tui dubitationem satis nunc erit, sic accipe:
 ex Mathematicorum regulis etiam in circulo notari atque adeo esse & infimum & supremum locum, eosque inter se re ipsa distinctos. Nam circuli medium & centrum quod vocant, est locus inferior & deorsum: circumfentia autem (quæ est linea illa conuexa quæ in se se conuoluta, & reducta totum orbis spatium complectitur) est locus superior & sursum, vt ex eo quod hæ cædem situs & loci species, & differentiae in mundo designantur, non sit colligendum quod vis, mundi huius comprehensionem non fieri sphærica & orbiculari figura.



C A P . X I I I .

Mundi utrum fu una quædam singularis anima.

D. **Q** Vid cum sit hic mundus unus,
 cum sit finitus, num etiam una
 f.j.

quadam anima, eaque singulari continentur, quæ per singulas ipsius partes tanquam per membra sit fusa, id quod in humano corpore fieri videmus?

P. Quandam esse totius huius mundi animam, eamq; numero vnā & singularē, celebris nominis Philosophi iam pridē senserūt, quemadmodū Aristoteles & alij quidam: quorū sententiam sequutus est qui ita scripsit & cecinit:

*Principio calum, ac terras camposque liquentes,
Lucentemque globum Lunæ, Tullanaque astra
Spiritus intus alit, totamque infusa per artus
Mens agitat molem, & magno se corpore miscet.*

Sed hæc non tam sententia & *μάρη* est, quam grauissimus quidā error, quē admodum docet August. lib. contra.

Felicia. Aria. cap. 12.

D. Quid ita?

P. Quia quæ corpora uno spiritu vnaque anima continētur, illa sunt cōtinua (vt corpus cuiusque nostrum) non separata, vt grex: non sibi tantum contigua, vt digitii manus inter se iuncti, & ædifica sibi vicina. Huius autem corporis,

qui

qui mundus appellatur , partes sunt non tantum distinctæ , sed etiam a seipso loco & interuallo separatae . Nam singulæ oves, singuli equi , singulæ arbores, singuli homines sunt pars huius mundi , & separati illi quidem tum loco tum etiā tota corporis mole , & circumscriptione , ut omnia hæc & singula unam tantum animam habere dici non possint . Quid enim futurum est , si una quædam anima & spiritus re ipsa in his singulis rebus esse cogitetur ? Hoc certe absurdum , Animam (quæ est natura quædam simplex , & plane spiritualis) instar corporearum rerum re ipsa non animo tantum partibilem esse . Nec enim hoc incommodum evitari potest , cum ea , quibus una illa & singularis anima inerit , sint re ipsa separata , & dividuta loco , & definita propria corporis cuiusque circumscriptione . Præterea sequeretur omnes mundi partes esse animatas , velut solem , lunam , sydera , cœlum ipsum , quæque cœlestia sunt corpora , quod tamē apertissime negat
f.ij.

August.lib. contra Priscillia. cap.8.& 9. & veram esse hanc Augustini sententiam aduersus Manichæos res ipsa ostendit. Quis enim astra vel animata, vel ratione prædita vñquam dixerit? Denique cum ipsarū mundi partium quædam sint mortales, vt bruta: quædam immortales, vt homines, qui fieri potest, vt vna hæc vniuersi mundi anima singularis, tam contrarias sibique ipsis repugnantes qualitates & conditiones admittat, vt sit altera quidem sui parte mortal is, altera vero immortal is? præsertim cum sit ipsa singularis, vna & simplex, non autē duplex & composita. Sed etiam in rebus ipsis quæ moriuntur quædam citissime perirent, vt vermiculi & musca: quædam diutissime viuunt, vt cedri arbores, cornix, & ceruus: vnde fiet vt hæc mundi anima, quæ tamen ex istorum sententia tantum vna est, & numero singularis & sola, partim mortua dici possit, partim viua. Quæ omnia quam sint incepta, falsa, & pugnantia, yides.

D.Vidco.

D. Video. Atque tibi assentior, qui vnā
& singularem esse totius huius mundi
animam verissime neges.

P. Imo vero præter superiores rationes
illa e sacra Scriptura tanquā robustior
postremo loco a nobis collocetur,
Quod eo pacto Dei singulis rebus
proprias & distinctas vires donantis &
inserentis bonitas & sapientia non mo-
do obscuratur, sed prorsus extingui-
tur, & ex hominum animis euellitur,
dum alij cuidam naturæ & animæ, non
autem ipsi Deo eas vires, eaque rerum
administrationem tribuimus, contra
quā tamen sentire & cōfiteri docemur
Ps.147.v.15.16. Ephes.3.v.20.Iob.8.v.5.

D. Atqui si non est vna quædam vniuer-
sitatis huius anima, quemadmodū do-
ces, profecto Stoicorum, Platonico-
rum & aliorum quorundam Philoso-
phorū, atque etiam Priscillianistarum
hæreticorum sententia labascit, qui
mundū hunc animal esse dicunt, idque
etiam ratione præditum & volūtate.

P. Recte colligis. Est enim inepta pror-
f.iiij.

PHYSICA

sus & a ratione aliena istorū sententia.
Cum enim illud tātū animal sit, & dici
possit, cuius partes & mēbra nō modo
vno eoque cōtinuo corporis cōplexu,
continentur, sed etiam vno spiritu re-
guntur, certe mundus hic non est ani-
mal. Habet enim sua membra disiun-
cta & separata. Atque parum nos Stoicorum & aliorum, quos cōmemorasti,
Philosophorū moueret autoritas, nisi
aliquādo scripsisset Augusti. se dubi-
tare vtrū Mūdus hic animal sit necne:
quod vt negare nolit, sic affirmare nō
audeat: cuius dubitatio tamē sequen-
da probandaque minime nobis est.



C A P . X V .

Mundum in tempore factum esse, non esse æternum.

D. **S**ed quarro ex te vtrum hic Mundus
aliquando esse cœperit, an semper
extiterit sitque æternus.

P. Mundum aliquādo esse cœpisse mul-
ta argumenta probant: e quibus Philo
in libro de mundo quinque præcipua
collegit

collegit. Nos autem nostra maximeque Christiana exponemus.

D. Ecqua vero sunt illa?

P. Hæc quatuor, Primum ipsius diuinæ Scripturæ vox & autoritas, quæ sic loquitur. *In principio creauit Deus cœlum & terrā*, Gen. i. v. i. Secundū ratio certa. Si enim mundus esset Deo coeterus: ergo & ipse Deus: est enim æternitas diuinæ naturæ, non modo propria, sed ipsius, ut ita dicam, ipsissima essentia, & præcipua pars & definitio, Exo. 2. v. 14, Apoc. i. v. 8, Tertiū, quod cum finē sit habiturus hic mundus, habeantque singula quibus constat: principiū nascendi habuerit necesse est. Quāquā enim illud vere dicitur, nō quicquid principium ortūq; habet, finē esse habiturū (quādo multa semel nata sunt, quæ singulari Dei beneficio interitū & morte non sentiunt, quales angeli & hominū animæ quæ sunt immortales) tamē certissime affirmatur, quidquid finem habebit, illud idem existendi & nascendi principium habere. Quæ regula tam f. iiiij.

est generalis, ut nullam patiatur exceptionem. Quartū denique, quod non modo conditi mundi caussæ sunt explicatae & tempus certum notatum: sed etiam ad perpetuam eius memoriam conseruandam certa temporum spatia præscripta, veluti hebdomades ipsæ perspicue docet, & 50. illud annorum interuallū (qui Iubilæus annus ab Hebræis dicebatur) a Deo ipso obseruari iussum fuit, ex quo quot iam ætatibus a primo mudi exordio abesse mus, facile perspici intelligi posset.

D. At quod de Scriptura & Genes. cap. 1. affers aliter quidam interpretatur. In principio quidem creata hæc omnia fuisse concedunt, sed non in tempore. Nam principij notio & significatio est multiplex, nec illic principium temporis intelligendū esse dicunt vel cœsent.

P. Principij significatum triplex est. Nā vel ad tempus, vel ad rem & causas, vel denique ad ordinem pertinet. Principium temporis in iis rebus quæ certo tempore gignuntur est illud horæ

momentum

momentum, quo vel illę concipiūtur, vel edunter in lucem. Ea vero solum temporis principium habent, quæ in tempore fiunt. Principium rei quod appellatur, & pro cauſa sumitur in iis rebus que sunt coæuae & contemporaneæ, est illa relatio affectioque, per quam altera alterius cauſa est cur sit. Sic in sole & dic, si inter se cōferantur, dicimus solem diei lucisque huius esse principium, et si eodem temporis momento vtrūque nobis apparet. Huiusmodi principium tēpus diuersum aut certū non ponit. Ordinis denique ratione principiū dicitur illud, quod in rebus eadē serie collocatis numerandi initium præbet, veluti in Trinitate ipsa Pater est principiū inter tres illas personas, quæ est unus Deus. Inter plares eiusdē dignitatis magistratus unus est, a quo numeri initium incipit, qualis in hac ciuitate prim⁹ Syndicus. D. Ergo Deum volunt isti esse Mundi huius principium, uti qui cauſa est & opifex, & qui prior numerādus est ap-

pellatur principium.

P. Hoc quam sit absurdū vide. Primum enim quis erit huius dicti sensus, In principio creauit Deus cœlum & terrā, si ita explicare velint, Deus in principio, id est, Deus in Deo creauit cœlū & terram? Præterea cur dixit, creauit, quæ vox non tantum initium ortus statuit, sed etiam actionis vim, & temporum initium aliquod manifeste complectitur, & includit. Deinde in Hermogenianorū damnatā illam hæresin velimus nolimus plane ea ratione incidemus, qui opus opifici faciunt æternū, sicque plures Deos omnino constituemus. de quo errore mihi pluribus agendum putarem, nisi eum integrō opere iam pridē iugulasset Tertullianus. Præterea Scriptura ipsa de temporis principio hoc Mosis dictum diserte interpretatur Proverb. 8.v.25. 27.28. atque etiā his verbis & ea comparatione, dū de mūdi origine agit, vtitur, in quibus omnino tēporis & ortus aliquod momētum & initiū inest.

Nam

Nam neque quod tā s̄epe Paulus ait de mundi ortu loquēs ~~επειδή τούτης~~ intelligi potest. Ephes. i. vers. 4. & quod alibi tempora quādam secularia vocat, 2. Timoth. 2. vers. 9. Tit. i. vers. 2. nisi hæc omnia tempus certum originemque nascendi, & existēdi aliquam habuisse fateamur. Quænā enim sunt tempora ~~αἰώνια~~, & secularia, quid vox ~~καταβίωσις~~ significat? nonne temporalis fundamentorum locatio intelligitur, & tempora ~~αἰώνια~~ dicit illa, quæ ex momento, & punto temporis, quo hæc omnia condi cœperūt, fluxerunt, debentque dinumerari? In quo nobiscum sentit August. lib. contra Priscillianist. cap. 6. Denique quomodo priscorum hominum ætates, uti Adami, Enochii, Noachi, diluuij illius vniuersalis tempus quantum ab ipso mundi exordio absit, diffiniretur, si nullum esset principium temporis quo Mundus hic creatus est? Adeo ut quosdam scriptores Ecclesiasticos de eo dubitasse, ipse admodum mirer: in primis

autem Augustinum ipsum, hominem
in Scripturis exercitatissimum in li-
bris de Genes.ad lit. et si postea tamen
in eo ipso defendendo plane varius est,
& sepe a seipso dissentient & diuersus.

D. At qui duo quædam tuæ sententiæ pu-
gnantia obiciunt alij, e quibus pri-
mum est illud quod est Eccl.18.vers.5.

Deus omnia creauit simul, ad quod pri-
mo quoque loco respondeas obsecro.

P. Facile quidem fuerit. Nam si voluero,
illud dicam, de quo inter nos (vt op-
inor) constat longe semouendam sepa-
randamque esse huius libri authorita-
tem a diuinis & canonicis Scripturis.

Itaque fidem non facit. Sed illud af-
ferre malo, quod ipsis contextus ver-
bis confirmatur, perperā locum illum
trāsferrī sic, *omnia simul creauit Deus*.

Nam ita sonat authoris ipsius oratio,
Qui viuit in æternum, omnia pariter

creauit: ~~etiam~~ ait. Ergo vnum tantum
authorem, & creatorē rerum omnium
agnoscere docemur, vt ait Iren. lib.4.
c.21. nō aut̄ affirmatur quæ creatas sunt

simul & eodem momento omnia extitisse, & ab eo producta, vel ab æterno vel sine temporis principio fuisse. Hoc igitur significat vox, pariter, viii nimirum, non pluribus potestatem tribui omnia creandi. Nam idem ille liber cap. 16, v. 25. res creatas certo ordine & tempore dispositas conditasque fuisse tradit. Quanquam non ignoro quantū unius illius vocis, *simul*, significatio, lectioque Augustinum lib. 5. cap. 3. & 6. cap. 6. de Genes. ad literā, atque etiam alios Patres sēpe torserit. Habes responsionē meam ad primam obiectionem tuam, ut pro simul, reponas pariter, dic alteram.

D. Adferunt etiam quod est scriptum in Ioan. Euangeliō, cap. 1. vers. 7. *In principio erat verbum.* Nam si principij vocabulum ad tempus referendum putas, ergo verbum siue $\lambda\delta\gamma\mu$ illum & Dei Filium tempore aliquo esse cœpisse, neque æternum esse impiissime dixeris.

P. Hac tāta Scripturæ authoritate certe

quidem vrgeremur, nisi res ipsa, de
qua agitur, nodi huius dissolutionem,
explicationemq; nobis afferret. Prin-
cipij enim variam esse significationem
diximus, ergo pro rei, de qua disputa-
tur, ratione & natura accipi debebit.
Ac vides ut hoc verbum & $\lambda\delta\gamma\mu$ Dei
Ioannes aperte dicat non creatum in
principio, sed iam tunc fuisse in prin-
cipio, cum res a Deo crearentur: ut
hoc suum, *In principio erat*, Ioānes op-
ponat dicto Mosis & rerum creationi,
vbi sic loquitur Scriptura, *In principio
creauit Deus cælum*: non autem sic, in
principio erat cœlum. Deinde docet
Ioannes $\lambda\delta\gamma\mu$ illum $\alpha\beta\gamma$, eundem esse
Deum. *Et erat*, ait, $\lambda\delta\gamma\mu$ ille Deus. Quod
est autem Deus, temporis ortum &
principium habere non potest. Quare
falsissime in Christo de tempore &
initio existentiæ illud explicatur & in-
telligitur. Quamobrem aliam signifi-
cationem illic Principij vocabulum
habebit: nempe eam, per quam omne
temporis initium Ioannes exclu*s*i,

ut quam longissime mens nostra co-
gitando respiciat, & sese extendat, an-
te a tamen ^{λόγῳ} illum & Filium Dei ex-
titisse, & distinctam a Patre hyposta-
sin habuisse certissime credamus. Qua-
dicendi ratione fere solet in Scriptu-
ris aeternitas denotari, ut appareat Pro-
verb.8. Et eo etiam ipso testimonio
Ioannis ostenditur, Res has omnes in
principio temporis fuisse conditas &
productas, quia non fuerunt in princi-
pio ^{ντι λόγος}, sed factæ sunt, cum in prin-
cipio non essent.



C A P. X VI.

Mundum hunc a seipso non extitisse.

D. **S**ed postquam Mundum hunc ini-
tiū existendi habere docuisti,
hoc explica, vtrum a seipso extiterit
mundus, an ab alio.

P. De hoc ipso neminem, qui vel leuissi-
me sacris literis tinctus sit, dubitare

puto, esse Mundum non a seipso, sed ab alio, nempe Deo. Nam si a seipso existeret, esset & immortalis & æternus, non autem in tempore conditus. Sibi enim ipsi vires ad perpetuā durationē subministraret & semper fuisset. Præterea etiam esset Deus. Quicquid enim a seipso est, & *τραπέζη* habet, Deus sit necesse est, cum hac vna remaxime creator a creaturis distet, quod sit ille subsistatque sua ipsius virtute & potestate. Hæ vero ipsius tantum, vi potētia & fulcimento. Præclare igitur Augustin. in Enchiridio,
A seipso, ait, nemo esse potest. Creatoris enim omnipotentia, & omnipotentis, atque omnitenentis virtus causa est omni creaturae subsistendi. Hoc igitur qui negat, Dei nimirum voluntate & potestate Mundum extitisse, sed qui cum a seipso nascendi vim habuisse contendit, toti sacræ Scripturæ plane repugnat. Nihil enim est fere notius aut sæpius inculcatū, quam Deum esse mundi huius conditorem & creatorem,

rem, res autem omnes ipsius manu, vo
lūtate & potētia productas. Quæ infi
nita testimonia ne colligā, en tibi duo
pro omnibus Psal. 104. v. 29, *Abscondis*
faciem tuam, turbantur: auferis spiritum
eorum, deficiunt, & in puluerem suum re
uertuntur: mittis spiritum tuum, creantur,
& innouas faciem terra. & Is. 45. ver. 18,
Sic dixit Iehouah creator cœlorum, & ipse
Deus formator terra, & factor eius, ipse,
inquam, qui præparauit eam, &c. Itaque
vulgo patres mundū Dei i., p. 20. 21. 22. 23.
appellabant.



C A P . XVII.

De caussis huius Mundi, ac primum de
causa eius efficiente, qui est Deus,
non Angeli, non item
Dæmones.

D. **Q** Væ sunt igitur huius mundi
caussæ?

P. Quatuor, imprimis Efficiēs siue pro
ducens, materia, forma, & finis.

g.j.

D. Potesne mihi has sigillatim explicare.

P. Cupio?

D. Ecqua igitur est efficiens mundi causa?

P. Deus, & is quidem solus.

D. Habesne vnde istud tam breuiter enuntiatum probes?

P. Habeo. Ac primum Deum esse qui mundum hunc fecit probat Moses Genes. In principio creauit Deus cœlum & terram. Confirmat David Psal. 33. vers. 6. Verbo Iehouæ facti sunt cœli, & spiritu oris eius omnis exercitus eorum. Quoniam ipse dixit, & fuit: ipse præcepit, & extitit. Item Isaías 44. Item Job 12. Vetus denique & nouū testamentum. Hoc ipsum ex vetere quadam traditione acceptum subobscure significauit Anaxagoras, qui mentem, & ipse appellabat, id est, Deum rerū omnium conditorem dixit, qui quantus sit ab aliis suæ ætatis Physicis irrisus, verè tamen sensit. At Marcionitæ, & postea Manichæi instant. Negant enim

enim hunc mundum, in quo tanta rerum perturbatio inest, dignum Deo opus dici censere posse. Quanta enim confusio, quanta calamitas, quanta denique ⁱⁿ ~~in~~ hisce rebus omnibus cernitur, ubi mali dominatur, vexantur boni, aestas saepe frigida, & autumnus grauis & periculosus, & alia eiusmodi euencionis? Itaque si adeo haec res conditae dicantur, erit Deus non ordinis autor, sed summæ rerum confusionis.

P. Male iudicant, est enim Deus earum rerum & substantiarum, quibus mundus constat, creator, & causa producens: non autem ipsius, quæ in eis inest, posteaque superuenit, confusio-nis, quia illa est peccati hominis effectus, & eius vanitatis, cui per Adamum primum res omnes subiectæ sunt, pars magna, Rom. 8. Ergo ea non est ab ipso Deo producta, vel insita, vel manans. Nam res primum & bonas, & bene constitutas, nullique ⁱⁿ ~~in~~ obnoxias vel deformes creauit. Sic Romulus

g.ij.

urbem Romam condidit, non eas seditiones, quæ longis post eius mortem seculis, propter hominum ambitionem natæ sunt Romæ. Quare aduersus Marcionitas & Manichæos res ipsæ carumque natura & substantia, a superueniente postea, & accedente illic malo distingui secernique a nobis debet. Nam etiam Ethnici ipsi, quemadmodum Thales, mundum $\tau\mu\nu\mu\pi\alpha\lambda-$
 $\tau\omega\sigma\sigma\sigma$ appellarūt, & Deo dignum censuerunt, melius sane quam hæretici.

D. Dic igitur quod cœperas.

p. Deus igitur creauit formauitque hūc mundum, qui Deus, quia essentia unius est: hypostasi autem trinus, Pater, Filius, & Spiritus sanctus, sic intelligitur a Deo conditus mundus esse, ut totius illius Trinitatis opus sit commune: non autē vel solius Patris, vel solius Filij, vel solius Spiritus sancti singulare & peculiare: sunt enim individua totius Trinitatis opera, quāquam in eodem opere sit distincta cuiusque personæ operatio.

D. Expo-

D. Expone quid dicas.

P. Patrem in mundi creatione operatum esse docet Moses, Genes. i. sed & verbum quoque, id est, Filium, & Spiritum sanctum. Pater creat voluntate: Verbum, siue Filius creat operatione, & ipsa productione: Spiritus autem Sanctus creat virium naturaeque insitione & motus viteque iniectione, quæ cuique rei, ut existeret, & ut conservetur inest. Itaque Ioan. cap. i. ver. 3. & 14, cum per ^{ad ipso} omnia condita esse demonstrasset, hunc ipsum esse Dei Filium postea tradit. Ergo Filius quoque creator mundi, & est, & recte nominatur. Spiritus autem Sanctus vires ad vitam indit, mouet, & sustentat, tum ut sint & viuant, tum etiam ut durent & conserventur. Itaque & ipse quoque in mundi creatione partem tam egregij operis sibi merito vendicat, quæ etiam Is. 40. ver. 7. 41. v. 29, aperte illi asseritur tribuiturque.

D. Alij aliter interpretantur, quæ dicis, & Verbi siue Sermonis nomine, itemque g. iij.

Spiritus voce, non substātias quasdam
resve illas per se existentes intelligāt:
sed modum tātum doceri putant, per
quem mūdus hic conditus sit, nimirū
non machinatione quadam, non ferra-
mētis adhibitis, nō manuū vlo labore
hanc tantā rerum molē coagmētātam
& procreatā: sed solo iussu, verboque
volūtatis Dei, id est, sola patefactio-
ne & declaracione ipsius decreti Dei,
quod ipsū per se est & potēs & efficax.

P. Non nego quin ea quae nobis per se
ipsa sunt ~~āgēnētā~~, huiusmodi symbo-
lis patefacta sint: & iis vocabulis &
metaphoris designata, quibus percipi
a nobis possent. Nimirum quod Dei
æternus Filius, verbum vel sermo ap-
pellatur: Spiritus autem sanctus, qui
est persona illa diuina & virtus sub-
stantialis per se subsistens, a Patre &
Filio emanans, & tamen distincta, Spi-
ritus nominatur: sed quādo alibi Scri-
ptura ipsa docet verbum illud vel ser-
monē, non esse sonū quēdā patefactio-
nēmque volūtatis Dei, & ~~īnīg. wōg. cōf. cōf.~~

vt

ut vocāt: Spiritū item nō esse vires rebus infusas, sed esse Deū, & eū ipsum qui habitator cordiū nostrorū appellatur, Ioan. i. v. 3. i. Cor. 6. v. 19. quorum vterq; cum Deo Patre in huius Mūdi creatione operatus esse variis Scripturæ locis docetur, qui iā dubitari potest quin sit recta & vera nostra sententia? D. Sed perge, dic igitur vtrum Deus solus hæc omnia creauit?

P. Solus.

D. Vnde id habes?

P. Ex Isaiæ c. 44. v. 24. *Ego Ichouah faciēs omnia, extēdens cœlos solus.* Iob 41. v. 2. 3. denique perpetua est hæc Scripturæ doctrina. Item & ratione confirmatur. Solus enim est, qui ea, quæ non sunt, vocat, & in lucem producit, est solus denique rerum autor & parens.

D. At quot quantisque repugnantium agminibus circunsistere?

P. Non ignoro. Nā & ab hæreticis pene innumeris, & ab ethnicis Philosophis vexabor, sed me Dei verbū satis tutabitur, atque sacrofācta ipsius veritas g. iiiij.

pro me se illis omnibus opponet.

D. Dic igitur quæ fuerunt hæreticorum
in eo sententiæ, aut potius errores.

P. Colligam ex Irenæo, maxime lib. i. &
lib. 2. Ergo hæreticorum alij mundum
ab alio quidem Deo meditatum &
mente conceptum, volunt, ab alio ve-
ro editum, & procreatū, veluti Va-
lentinianorum & Carpocratianorum
quidam. Alij ab alia prorsus natura &
diuersa virtute, quam quæ Deus dici
debeat, rebusque omnibus domine-
tur, cōditum fuisse putant hunc mun-
dum, quemadmodū Cerinthus, quam
modo Hysteram vocant, modo De-
miurgum, separantque ab eo, quem &
vere Dcū esse dicunt, & Propatora
nominant. Alij existimant ab Angelis
tantum fabricatum mundum, non a
Deo, vt Simoniani, & Menādriani: tot
sunt nimirum diuerticula, vbi semel a
recta via discesseris.

D. Quid Philosophi?

P. A dæmonibus suis (quos Angelos vo-
cant, totoque genere a summo Deo
diuer-

diuersos faciunt) mundū factum esse contendunt, quemadmodum Platonicī. Epicurū enim qui fortuna, & casu mundum hunc extitisse ait, inter Philosophos non habeo: neque vacat iam aliorum sententias recensere.

D. Quid tu aduersus tot aduersariorum copias oppones?

P. Dei verbū, ac rationem etiam ab ipsis Philosophis comprobatam. Ac quidem Dei verbum, quod cum creatorem esse vni Deo, tanquam proprium & singulare ipsius epitheton & attributum competit, angelis, aliique rei illud ipsum cōuenire non potest, *Gloriam enim meam alii non dabo, inquit Dominus. Is.42.v.8. 45.v.12.* Præterea tot dij a nobis statuentur, quot creatores angeli. Nam qui creat, idem ille vitam dat & sustentat, & ab eo opus eiusmodi prorsus pendet, atque habet, vt sit. Quare & angeli viuificatores erunt & sustentatores, & dij & Iehouah.i. existere facientes. Id autem quantum Scripturæ repugnet, facile

ex Is. 45. ver. 18. Intelligi potest, vnde
praetclare vereque nobiscum negat lib.
3. de Trinit. cap. 8. Augustin. diabolos
vel magos ullius animalculi, ac ne pe-
duncularum quidem esse creatores posse.

D. Ratio autem eccliarum abs te afferri po-
test, quantum ipsis approbes Philosophis.

P. Haec nimurum, *Natura principiorum a-
mat singularitatem.* itaque ab Homero
scite dictum commemorat laudat-
que Aristoteles:

*Oὐκ ἀγαθὸν οὐδὲ κακόν, ἀλλὰ τὸ εἶται. At-
que eo argumento ipse in lib. 12. Meta-
physico usus, unum esse summum, & ce-
teris eminentiore Deum, atque alio-
rum regem, & principem demonstrat.
Hoc ipsum quoque amplexus est Au-
gust. lib. 1. de nuptiis, c. 9. Et certe ve-
rissimum esse statum rerum ipsarum
experientia docet. Ergo idem parua
efficere potest qui & magna facit: i-
deque Deus qui alta, humilia quoque
producit & format, quia est omnipotens
quemadmodum etiam loquitur pater
Iren. li. 2, c. 44. ut plures mundi huius
crea-*

creatores cōstitui non modò nihil sit
necessē, sed etiā contra ipsorū princi-
piorū naturā & ipsā Dei omnipotētiā.



C A P . X V I I I .

*Mundum hunc, & quae in eo sunt, omnia ex
nihilo creata esse a Deo, non tātum ornata,
aut digesta, aut educta ex informi & præ-
existenti quadam materia ex aceruo.*

D. *S*ed Deum quomodo, quove sensu
mundi huius caussam productricē,
& efficientem dicis?

P. Quia non tātum vim aut ornatum in-
dedit rebus, sed res ipsas ex nihilo nul-
laque præcedente, & præexistēte ma-
teria primum effecit & produxit, quod
proprie creare appellant.

D. Estne vero quid in ea vocis significa-
tione eximium & excellens, quod di-
uinæ potentiaz peculiare & proprium
esse censeatur?

P. Maxime. Nam hoc modo Deus ab o-
mni opificum genere longissime se-
cernitur, atque etiam ab omni alio

genere caussarum, quales sunt parentes & ministri, vel vires etiam ipsæ naturales.

D. Quid ita?

P. Quia omnis opifex, quamlibet potens & egregius non nisi materia sibi aliud subministrata, quicquam efficit, ipse autem ex nulla nihil operari potest. Substrahe ferrum ferrario artifici, lignum lignario, filum telario, quid aliud quam in suis officinis hiabunt? Ats enim omnis preparatam a natura materiam sumit & postulat, in quam postea operatur, & varias formas inducit. Sed nec caussæ ipsæ, & vires, quæ dicuntur naturales, & sunt cuiusque rei propriae, sine substrata sibi materia aliquid producunt. Nam ut species & explores etiam maximas & totas naturæ rerum, quæ dicitur, vires, illud tamen verum perspicitur quod est a Physicis pronuntiatum, ex nihilo nihil fit. Quis sine semine vñquam faraut adoratum habuit, quis sine surculo consito aut semine arbores, sine grano sparso herbas

herbas & flores vidit? Sed qui creator
re-vera est, ipse eam matcriam, in qua
& ex qua agit, ex nihilo facit, aliunde
præparatam aut oblatam non habet.
Matcriam autem ipsam Deo coæ-
ternam, aut ex se se existentem consti-
tuere, a Deo autem ipso ex nihilo pri-
mum factam & productam, negare, est
non Christianorum hominum, sed pla-
ne Hermogenianorum hæreticorum.
Vnde inter creare & generare discri-
men latissimum constitutum est. Creá-
tur quæ de nullo substantiali vel ma-
teriali principio fiunt. Generátur au-
tem quæ non ex nihilo, sed ex priore
materia facta vel nata sunt. Quare nec
Angeli boni nec dæmones vel diabo-
li, creatores sunt, vel dici existimari ve
debent, inedum homines: quia *ποιεῖ*,
creare, solius Dei est proprium. id quod
hi loci confirmant. Augustin. lib. 3. de
Trinit. c. 8, Is. 45, Iob. 26, Psal. 33. Act.
17. v. 24. Nec ignoro tamen quid con-
tra disputent alij, posse nimis pro-
testatē creandi creaturis cōmunicari.

D. At tuę sententię multa obstant.

P. Quę illa?

D. Primū quod ipse dixisti, estque certissimum Physicorum ^{āxiomata}, & perpetua rerum experientia omnium hominum iudicio confirmatum. Ex nihilo nihil fit: Quomodo igitur hæc omnia produxisset Deus, si nulla illi preparata materia fuit, id est, si nihil illi fuit, vnde faceret?

P. Vetus sane obiectio, & a profanis hominibus s̄epe repetita, in qua explicanda Iustinus martyr, aut si quis alius ad ethnicorum interrogationes scripsit, multum antea laborauit, quem tam nodum dissoluere facile mihi videor posse. Primum quod perperam, ne dicā, peruersae ad naturae iam creatræ & factræ leges reuocatur infinita & immensa illa Dei creatoris omnipotentia. Quid enim hoc aliud est, quam creaturam creatori exequarc velle? Sed quemadmodum Dominus ipse testatur longe diuersas esse suas cogitationes a nostris, ita longe diuersa est ipsius

ipius vis & potētia à nostra omniq[ue] naturæ huius conatu, & virtute superior, Iob 10. ver. 45. Deinde quis ita concludet, Nunc & postquam hunc ordinem constituit Dominus, vt ex nihilo nihil fiat, sine præexistente materia nihil sit: ergo rerum initio, atque ante has leges a Deo datae, idem locū habuit, nihilque alio modo fieri potuit. Agnoscis ipse quantum hallucinentur qui ita concludunt. Quemadmodum, exempli causa, si quis vellet ideo non potuisse primas arbores statim atque ex puncto temporis, quo sunt a Deo satæ, fructus suos protulisse, quod nunc tam cito non soleant, egeantque ad fructificandum & maturescendum longis temporum spatiis & interuallis, si quis, inquam, sic argumentetur, omnes ridebūt: & falsam esse orationem intelligent, ctiam ex ipso Isaia 66. v. 8, nedum ex Mose Gene. cap. 1. Fallitur enim qui ita sentit magna temporum & conditionum diversarum, quæ in rebus distinguen-

dæ sunt, ignoratione & cōfusionē. Sic qui nobis aduersus primam rerū creationem illud obiiciūt, quod aīs, ex nihilo nihil fit, quia nunc ex nihilo nihil fit, argumētātur a diuersissimis & dissimiliis temporibus & cōditionibus, Nimirum a natura creanda & illegi, ad naturam creatam, & ad certas iam leges reuocatam & cōstrictam. Quod genus conclusionis irridet etiam Augustin.lib.z.contra Pelagia.ca.25. Habet igitur quod ad tritissimum & vulgarissimum illud Philosophorum argumentum respondeo. Et quod est illud secundum quod aduersus nos afferri posse dicis?

D. Quod ex Sapiētiæ libro sumunt. cap. ii.ver.18, *N*eque enim omnipotenti manui tue, qua mundum ex informi materia effecit, defuit facultas vrsorū multitudinem, animososque leones in eos immittere. Ergo de materia rudi & informi, non autem ex nihilo factus est mundus. Cui sententię videtur astipulari Augusti. qui lib.3. de Trinitate cap. 5.& 6. ait:

Com-

*Communē quandam materiam in caussis
mundialibus consistere.*

P. Hoc iam, quod affers, vixum est quibusdam robustissimum argumentum. Itaque materiarij hæretici, qui & Hermogeniani dicti sunt, eo innituntur præcipue, aduersus quos multa præclare docteque Tertullianus. Ut autem de illius libri authoritate nihil dicam, quemadmodum commonui antea, illud tamen respondebo, quod est verissimum, informem illam materiam, ex qua mundus dicitur effactus, illic & doceri, & credi a Deo ipso ex nihilo primum fuisse creatam, non ex aliqua alia materia censeri natam, effusam & suppeditatam (esset enim tandem progressus in infinitum) non etiam per se existentem, quia esset ipsa Deus. Sed ex recepta iam sententia, quæ apud Rabbinos Hebræorum nota tunc erat, plurimumque postea invaluit, sic scripsit, qui cūque librum illum scripsit, nimirum cælum & terram (quæ duo primo dio

h.j.

a Deo creata commemorantur, Gen.
1.) fuisse tanquam primam cæterorum
Dei operū, quæ subsequuta sunt, ma-
teriam, quam Deus ipse sibi virtute
sua illa potenti præparauit, congesit,
& primum rudem subministravit ad
tantū illud opificium suum postea cō-
plendum, & efformandū. Atque ita lo-
cus ille est explicandus. Quod autem
ad Augustinum attinet, qui cum ad-
uersus nos citant prorsus hominem
torquēt. De prima enim totius mūdi
huius materia non agit Augustinus,
quasi vllā fuisse velit, aut etiā cā Deo
coæternam fingat & cogitet: sed lo-
quitur de materia secunda, per quam
in rebus iam creatis, aliæ ex aliis, &
tunc ortæ sunt Dei iussu, vti e terra
plantæ & animalia: & adhuc hodie
fiunt & nascuntur. *Præseminata est*, ait
ipse, *etiam materia in rebus ipsis eorum*
qua ex iis nascuntur & oriuntur, lib.3.de
Genes.ad literam, cap.14.lib.2.cap.15.
lib.1.cap.14.& 15.lib.5.cap.5.

D. Tertio loco cōtendunt non eam esse
huius

huius vocis Creavit, propriam vim & significationem. Nam Is.43.ver.13.dicit Dominus se creatorem esse Israe- lis, quem populum tamen ex semine natum esse constat. & apud eundem prophetam.cap.65.v.18.ait, Ecce creo Hierusalem , quem locum siue de ci- uibus siue de vrbe ipsa intellexeris, certum est tamē id sine semine & ma- teria, a Deo factam non esse Hierusa- lem. Atque vox Barah vtroque loco usurpatur, ut in voculae vnius religiosa illa & augusta interpretatione inhæ- rendum non existimem. Item & illud eiusdem prophetæ afferunt: *Ecce ego creo cælum nouum, & terram nouam:* cum tamen hæc ipsa corpora, quæ iam sunt cœlum & terra, sit tantum Do- minus innouaturus, non ex nihilo ite- rum alia facturus.

P. Ita scriptum est apud Isaiam quem- admodum dicis. Sed hi loci nostram sententiam plane confirmant, nedum ut oppugnent: nam vox creandi me- taphoricas sumpta est, & a vera pro- h.ij.

priaque notione parum inflexa, quo
Dei potentia in populo suo, & vrbe
sancta præter spem restituenda, aliis-
que rebus præter ordinariū mundum
instaurādis maior atque illustrior ap-
pareat. Quoniam enim quæ creantur
præter naturæ ordinē ex nihilo fiunt,
ita quia populum & vrbem (cuius nul-
la amplius extabant vestigia, nullum
semen, nulla etiam rudera videban-
tur) se repositurū, atque redintegratu-
rū testatur Dominus, creandivoce ap-
posite vtitur, quod hoc Dei opus sit
tanquam creatio quædam & mira ali-
cuius rei ex nihilo productio & ge-
neratio. Quanquam non diffitebor i-
pse creandi siue Barach significationē
sæpe esse translatam, & acceptam li-
berius, vti cum dicitur, *Cor mūdū crea*
in me Deus, Psal. 51. ver. 12. & *T'kronus*
peruersorum creat iniquitatem. Psal. 94.
ver. 20. Hæc vero Augustini vox &
sententia, pace tanti viri dixerim, mihi
certe probari non potest. qui li. 1. con-
tra aduersar. Legis & Prophetar. c. 23.

ita

ita scribit: *Et si aliquando cum aliqua differentia facere & creare dicitur, hoc rectius potest interesse, quod dixit: ut facere sit, quod omnino non erat: Creare autem ex eo quod iam erat ordinando aliquid constituere.* Nimium enim subtiliter voces istas facere & creare distinguunt, quæ saepe inter se confundantur.

D. Quid igitur?

P. Sic plane aperteque definit scriptura, Deum esse mundi, id est, rerum omnium quæ sunt, creatorem, quia eas ex nihilo fecit, cōdidit, produxit, non autem ex illa præexistenti materia, & Deo ipsi coetera, vel ab alio quodam artifice Deo, ut putat Manichei, suppeditata. Inducit enim ea sententia duos deos: & cum duos cōstituit, nullum relinquit. Aut enim nullus est Deus, aut est unus. Denique, ut ait Ambrosius, esset Deus figure tantum inuendor, non autem operator naturæ: & plus inuenisset accepissetque, quam contulisset, si illa materia præexistebat.

h.ij.

D. At quidā materiam vocabulo Tohu,
a Scriptura designatam fuisse volunt:
vnde postea Græci homines & Philo-
sophi, qui ab Hebræis, & Phœnici-
bus, Hebræorum vicinis ea primum
acceperunt, quæ de mundi ortu tra-
diderunt, vocem ὦλω effinxere, leui li-
terarum quarundam immutatione, ex
suæ linguae vsu & idiomate, facta.¹ Est
enim ὦλω Græcis idem (aiūt) quod He-
bræis cōgeries rudis, informis, & hu-
mida tanquam viginosa quædam fæx
& terra, ex qua vi caloris accedentis
multa procreātur. A qua voce ὦλω, vo-
cem ἰλός ἰλύδος, quæ fæcem, & algam, id
est, lutosam madidamque terram si-
gnificat deducūt, e qua multa in mari
nascentur.

P. Quin inepta eiusmodi multa ij com-
miniscantur, quī errorem illum suum
tuentur de prima materia præexistē-
re, tanquam omnino sit necessaria, se-
melque imbiberunt, non dubito. Sed
quam nulla sit utriusque vocis Tohu
& ὦλω in literis cognatio, vel potius
quam

quam sint hæc a vero aliena, ipse videt, & alia conquirere nihil necesse est, cum Deus aperte creator cœli & terræ appelletur.

D. Imo etiam גָּבְרֵל Gosche יְהוָה Iotser, id est, factor & formator Deus nominatur, quemadmodum Isa. 66. v. 22. Job. 35. ver. 10. & Isa. 54. ver. 8. veluti etiam Psal. 90. ver. 2.

P. Non temere aut frustra id quidem, sed errorum quos postea inter homines nascituros præuidit spiritus Dei, tollendorum gratia. Est enim hominum de origine rerum error duplex, præter materiarios hæreticos. Nam alij putant primum & semper extitisse totam quandam massam, rudem illam quidem, & confusam, quæ esset aceruus & congeries omnium præcipuarum mundi rerum & partium iam existentium & formatarum, sed inter se perturbatarū, & commixtarū, quod Chaos appellant. Et eam sententiam Hesiodus in Theogonia amplexus est quam P. Naso in Metamorphosi de-
h. iiiij.

scribit his versibus:

*Ante mare & terras, & quod tegit omnia cælum,
Vnus erat toto naturæ vulnus in orbe,
Quem dixerat Chaos, rudis, indigestaque moles:
Nec quicquam nisi pōdus iners, congestaque codē
Non bene iunctarum discordia semina rerum.*

Itaque hoc Deo tantū tribuunt, vt sit
huius tantæ molis & ac crui cōfusidi-
stinctor, ornator & ordinator: nō autē
creator in tempore, donans ci vt exi-
steret. Itaque dixit poeta, *Erat tan-*
quam ab æterno: non autem factum
est illud chaos à Deo & creatum.
Quare Deum appellant non ~~æternum~~ *aut*
~~mūndum~~, *id est, creatorem mundi, sed*
~~nos univere~~ *tantum, & vt ait Ambrosius,*
figuræ inuētorem, quasi qui ornatum
tantum quendam & ordinem rebus
iam existentibus, & certam vim natu-
ramque suam per se adeptis attulerit
& induxerit, sapienti quadam, & apta-
earum distinctione, cuiusque partis
in locum suum separatione atque di-
stributione. Alij verò etiam aliquid
Deo plus tribuunt: volunt enim mate-
riam

riam quidem ab æterno fuisse ingen-
tem molē, sed tantum materiam, non
autem in ea res ipsas inclusas & com-
prehensas fuisse (quod tamen primi illi
sentiunt) & eam etiam rudē & pror-
sus informē: quam Deus, quia immen-
sa erat, frustulatim atque minutatim
acciopiens secuerit, &, ut est sapientissi-
mus artifex, in variis formas effinxerit.
Atque ita in quāque eius materiæ par-
tem suam quādam formam & speciem
induxerit. Sic ferrarius faber ex eadē
ferri massa frustulatim dissecta clavem,
malleum, serrā, vincula, aliaque diuersi
generis & usus opera format & cudit.
Vnde ab iis Deus ~~deus~~ appellatur
non ~~deus~~ non ~~mater~~. At vero Scriptura
hoc totum Deo tribuit. Nimurum &
quod res sunt, & quod eam vim, po-
testatem, naturam, & formam habent,
quam in iis inesse videmus. Denique
quod eo loco & situ collocatae & distin-
ctæ cernuntur, ut ornatum huic molē
tantum afferant, quantum qualemque
videmus & quantum nemo satis vn-

quā explicare dignè possit. Quare scriptura dicit Deū nō tantū Barah, quod est creare & Græce καὶ γενεῖν aut τοιὲν: sed & Gascha quod est operari. Græcē autē ἐπράξεσθαι aut δημιουργεῖν: atque etiā Iatfar, quod est ornatū & ordinē induce-re, Græcē autē καὶ μάκη, ut omnia quæ in hoc mūdo insunt & cernuntur, ab uno Deo esse, id est, veres sint, & huiusmodi sint, certissime constituamus, intelli-gamus, atque vi ipsa veritatis vieti fateamur.

D. Habésne vnde tuā sententiā cōfirmes?

P. Maxime, & istis præsertim Sacrae scri-pturæ locis Is. cap. 42. v. cap. 43. v. 1. 7. cap. 45. v. 12. & 18. Item Iob. cap. 26. v. 13. cap. 35. v. 10. vbi tot tamque diuersis no-minibus unus & idē Deus appellatur.



C A P . X I X .

*De fine propter quem mundum Deus
creauit & con-
didit.*

Quæ

D.**Q**uæ autem Deū ipsum cāussa p̄cipue impulit ut hunc mundum conderet, ipse nullius egens, atque in æterna illa felicitate habitans, & ad quē nulla felicitatis & immortalitatis accessio fieri ex toto hoc opificio potest?

P. Mera ipsius bonitas, id est, voluntas illa benignissima suæ felicitatis quibusdam rebus communicandæ, quantum fieri per earum rerum, quās etiam creauit, naturam potest. Itaque & Angelos in cælo, & homines in terra condidit, ut suæ illius beatitudinis quodam modo ~~participarentur~~ & participes haberet ipse summe bonus, summe benignus, summe perfectus, & in sese, & ex sese summe perfecteque totus beatus.

D. Vnde id probas?

P. Et autoritate & ratione. Ac autoritas quidem est ea primum quæ c̄Scriptura sumitur Ps.36. v.5. Iehouah usque ad cœlos misericordia tua. ps.33. v.5. Misericordia Iehouæ plena est terra. Psal.34. v.9. videte quod bonus Iehouah. & Ps.103. v.17. Misericordia Iehouæ à seculo, & usque in secul-

lum, & Ps. III. v. 4. In primis autem Ps. 136. per totum. & Ps. 145. v. 9. Bonus Iehouah uniuersis & misericordia eius super omnia opera ipsius. Deinde a patribus. Nam aperte solam Dei bonitatem caussam esse propter quam haec omnia fecerit Deus, testatur August. libr. I. de Genes. ad literam cap. 8. & in Enchirid. lib. 9. & Irenæ. 3. cap. 45. & 46. & Fulgentius in libr. de fide ad Petr. cap. 3. Quod si etiam Ethnicos homines in ea re laudare placet, habes Platonem in Timo autorem inter eos grauissimum, qui luce naturali testimonioque propriæ conscientiæ ductus ita scripsit, que Cicero in libro de Vniuersitate ita expressit: *Quæramus igitur caussam, que impulerit eum, qui haec machinatus est, ut originem rerum & molitionem nouam querebet.* Bonus erat. Bonus autem inuidet nemini. Itaque alij sic dicunt, *Sciebat Deus & volebat suam beatitudinem esse communicabilem.* Etsi enim sine his rebus omnibus diuina bonitas in Deo & plenissime & perfectissime inest & inerat,

vt appareat ex Ps. 60, atque etiā illibata
cōseruatur: sunt tamen haeres creatae ma-
nifestatione, vt loquuntur in scholis, cōdecen-
tia bonitatis Dei, id est, eam bonitatem
Deum omnino & recte decere demon-
strant. hæc illi.

D. Audio autoritatem, affer rationem.

P. Cum a nobis hominibus nihil profici-
scatur, ac nē ab Angelis quidem electis
& beatis, vnde Deus vel quoad æterni-
tatem suam stabilior: vel quo ad sta-
tum conditionemque suam melior bea-
tiorque fiat, vt est Psalmo 16. vers. 2.
(Neque enim ei qui omnino, & ex se se
perfectus est quicquam adiici potest)
certè nulla cum indigentia impulit, vt
hæc conderet. sed hac vna tantum cauf-
sa, nimirum voluntas ipsius summè be-
nigna. Itaque, quemadmodum Tit. 3.
v. 4. dicitur, mera Dei bonitas homi-
num salutis caussa: ita & eorum crea-
tionis caussa est. Quod si hominum, &
cæterarum quoque rerum eadem cauf-
sa est.



CAP. XX.

Mundus hic, Dei filius dici non potest.

D. **P**Ercepi quæ dixisti hactenus, de
Deo, qui est efficiens huius mundi
caussa non tantum ut opifex, non ut de-
scriptor, & ornator solum: sed multo
magis ut creator & ex nihilo produ-
cens. vnum modo adde, Num propter-
ea mundus hic Dei filius dici possit.

P. Veterem questionem renouas de qua
Augusti. in Enchirid. cap. 38. & 39. agit
perspicue. Certe si proprie & intelligē-
ter loquivolumus, neque potest, neque
debet hic mundus dici filius Dei: pri-
mum, quia non ex ipsa substantia diu-
na factus est. At qui proprie filij appel-
lantur, e patris semine & substantia gi-
gnuntur. Deinde non quicquid ex alio
oritur & nasci dicitur, filius tamen eius
dici debet ex quo nascitur. Pediculi
enim ex carne hominis gignuntur, nec
tamen filij hominum, aut carnis dicun-
tur

tur. Denique cum Dei ad mundum comparatio & ratio ea sit potius, quæ est opificis ad opus, quam quæ patris ad filium, mūdus Dei opus & ~~ā ποτέ λαμψε~~ quidem dici poterit & appellari, filius autem nullo modo.

2626 QVIESCENS

CAP. XXI.

*Quid ad res postea creandas pro materia
à Deo primum creatum & con-
stitutum.*

D. **H**Ae tenus de caussa efficiente, nūc de materia mūdi aliquid expone.
P. Quid vero eā tibi commemorem, quæ nulla fuit, quemadmodum supra copio se disputauit: ut vox etiam ipsa creandi, si propriam eius significationem spēces, demonstrat. Nec puto operæ pretium Philosophorum, qui pene omnes in hunc scopulum impegerunt, sententias refutare: vel Hermogenianorum hæresin reuincere, qui eum errorem in Ecclesia Dei iam extinctū ex Stoico-

rum schola & Dogmatis renocarūt &
 a Philosophis ~~quos tuū~~ hominibus mun-
 di originem discere maluerunt, quām
 a veris Christianis, atque etiam ex
 ipso Dei verbo. Quorum argumenta
 omnia opere præclaro & utili cōfuta-
 uit Tertullianus, qui liber in manibus
 hominum versatur, estque lectione di-
 gnissimus.

D. Nec vero illam quāro, quæ nulla fuit,
 sed istud potius, utrum ex rebus ipsis
 creatis ex nihilo aliquid à Deo ipso
 dispositum, præparatum, & produ-
 ctum fuerit, quod postea cæteris re-
 bus creandis vicem, usumque præbe-
 ret, & ex quo postea Deus reliqua ef-
 ficeret vel efformaret.

P. Difficilem me quæstionem ingredi iu-
 bes, quæ & paria pene rationum mo-
 mēta habet, & pari numero graues au-
 tores. Doctorum enim scriptorum alij
 putant Cœlum & Terram, de quibus
Genes. i. v. i. dicitur, *In principio crea-
 uit Deus cœlum & terram, à Deo quidē
 creata ex nihilo, sed primum tamen &*
 ante

ante omnia, vt esset reliquarum rerū
creādarū materia parata. Itaque nihil
reliquis diebus esse à Deo actum, nisi
vt hæc materia & massa cōfuse primū
edita, & rerum omnium semina cōti-
nens distingueretur in sua genera &
elementa, & quodque rerum genus
ornaretur atque suis legibus vincire-
tur. Alij autem aliud existimant, ista
initio futurę explicationis προπομπή tā-
tū quodā & anticipatione fuisse pro-
posita, vt summa totius futuræ narra-
tionis melius intelligeretur, & tanti
ædificij, qualis mundus, limites primū
designarētur. Sic periti architecti do-
mum amplam constructuri certis re-
gionibus, finibus, & lineamentis totū
opus futurum circumscribunt & desi-
gnant, vt intra eas metas reliquas ædi-
ficij partes quærant, atque apte col-
locent, seque ipsi inter eas contineat.
Ergo (aiūt) cœlum & terra proponun-
tur a Mose, idque in ingressu narratio-
nis, vt quos limites futura descriptio,
totumque ipsum opus habeat intel-

ligamus, quemadmodum post narrationem creationis idem ille eosdem quoque limites iterum repetit, & totum opus à se expositum eodem modo cōcludit. Genes. 2.v.1. Ergo in principio creauit Deus cœlum & terram, id est, primum omnium summa omnium Dei operum (de quorum creatione dicturus est) nobis cogitanda proponitur. Deinde docet & Iren. libro 2. cap. 10. II. & 16. Deum non esse similem hominibus, qui vlla etiam a se creata & preparata materia egerit ad reliquarum rerum molitionem & opificium.

D. Quid tu igitur aliudne sentis?

P. Certe probabilior mihi videri solet priorum interpretatio, & sententia, qui cœlum & terram (qualis illic commoratur) ex nihilo quidem primum a Deo creata esse volunt, sed velut rudem totius futuri operis & ornatus materiam, ex qua Deus sua vi, & potentia eduxit reliqua. Quanquam enim Deus omnipotens nulla egebat mate
ria,

ria, neque ad cœlum & terram primū creanda, neque ad reliquorum dierū opera producēda, vti neque hominis semine opus habet, si velit, ad homines hodie serēdos: tamē nō quid quātumque potuerit in istis questionibus quæ rendum est, ait Augustinus lib. 2. de Genes. sed quid rerum natura patiatur, & quid voluerit, & nobis ipse verbo suo patefecerit. Nec caret hæc mea sententia iusto suo firmamento, id est, vel autoritate hominum, vel etiam ratione. Autoritas est non hoc modo, quod & Philo Iudæus & passim Rabbini, & Hebraeorum eruditissimi sic locum illum Mosis explicant: sed etiā Augustinus sæpe, veluti libr. 5. de Genes. ad liter. ca. 3. & 5. & li. 1. cap. 5. Ambrosius etiam in Examero, Chrysostomus, Basilius & alij.

D. Sed ecqua ratio tuæ sententiæ afferri potest?

P. Duplex. Ac prima quidem, quod ista expositio optime cum verbis & serie Mosis cōuenit: deinde quod ipsa voce i. ij.

Principij & significatione eius vide-
tur plane cōfirmari. Principium enim
comparate ad alia dicitur. Itaque ut
doceret quo modo ex iis duobus reli-
qua postea facta essent, aperte præfa-
tur Moses, cælum illud & *illam* terrā
in principio, id est, ante omnia illa Dei
opera creata esse, & ad reliquorum
operum usum, id est, vnde sequentia
postea desumpta, & tanquam progna-
ta sunt. Cuius sententiae vestigia, quā-
quam veritate manifeste interpolata,
videtur extare tum apud Hesiodum
in Theogonia, tū apud Ouidiū notissi-
mo illo loco Metam. i. *Ante mare &*
terras, &c. Sed hæc quoque ratio affir-
ri potest, quod res ipsa, imprimis ve-
ro terra, sic nobis describitur, & ap-
pellatur a Mose Tohu & Bohu, ex
quo apparet fuisse rudē quandā futu-
ri mundi massam, seminarium, & ma-
teriā à Deo ipso tunc tantum, non au-
tem ab æterno paratam. Quin autem
confusionis aliquid etiam tū fuerit in
ipso cælo, negari non potest, quū nō-
dum

dum cælestes terrestresque materiæ
a seipsis distinctæ & separatae fuerint,
quod demū & hic factū est. Quod cœ
li nullus adhuc erat ornatus, nullus
quoque splendor, vel lux in eo micabat.
Sed illa confusio maior in terra fuit.
Itaque de ea dictū est Tohu & Bohu.



C A P. X X I I.

*Materia rerum terrenarum qualis fuerit:
& quam commode a Deo preparata.*

D. **Q** Vid igitur voces hæc Tohu &
Bohu significant?

P. Primum informe quiddam, rude, cō-
fusum, sed aptum tamen dispositum-
que ad formā ornatumque admitten-
dum & suscipiendum. Itaque hæc ra-
tione loquendi utitur Scriptura, cum
quid impolitum, & indigestum desig-
nat, veluti Is. 34.v. 11. 40.v. 17. Talis i-
gitur quædam fuit tunc illius terræ
facies, qualis ferme ab illo canitur his
verbis:

Quaque erat & tellus illic & pontus & aer:

Sic era^t instabilis tellus, innabilis vnda.

Luce carens aer, nulli sua forma manebat.

Deinde ut omniū rerum summa sunt genera duo, vnum cœleste, alterum terrenum: sic duplex materia a Deo, constituta primum omniū fuit, a Deo, inquam, qui cuius, & quotuplicis naturæ futura erant sua opera non ignorabat, sed iam tum præparabat. Cœlestium enim mundi partium cœlestis materies parata est, & perfecta quidem, cœlum. Terrenarum autem terra, & ea etiam madida, humida & viginosa, cui propterea aqua superfusa fuit, quemadmodum est in Ps. 104, v. 6. vt ex eis duobus elementis vnum tantum corpus tunc extaret. Ac quidē in cœli illius, quale tunc fuerit, explicatione minus immoratur Moses, quia fuit quiddam efformatum magis quā cōpositū. In terræ autem statu de scribendo fusior est. Terram enim illam primam & materialem appellat Tohu, & Bohu, id est, confusam quādam

dam massam: qualis à nobis cogitetur
necessæ est, si eum ornatum, & distin-
ctionem, quam postea addidit Domi-
nus, animo ab illa distraxeris.

D. Quid igitur vocabulum Tohu notat
in Scriptura?

P. Hoc ipsum quod nos Latine inane di-
cimus & desolatum, nimirum cuius
nullus est usus & commoditas, quod
neque fructum, neque sui usuram ali-
quam prebeat. Itaque quod sit nihil.
Vnde fit ut nihil saepe vertatur hæc
eadem vox: veluti Job 26. v. 7. Is. 24. v.
10. & 40. sub finem. Quare eam utilita-
tem, quam nos hodie ex terra percipi-
mus, excludit vis & notio huius vo-
cis Tohu.

D. Quid vero vox Bohu?

P. Illud ipsum denotat apud Hebræos,
quod apud Latinos informe & incō-
positum. est autē illud informe, a quo
omnis distinctio, ordo, aptaque & uti-
lis partium collocatio abest, & quod
nihil nisi confusum & horrendū quid-
dam præ se fert spectatibus. nō quod
i. iiiij.

tamen omni forma careret. Quod fieri non potuit, cum iam nomen haberet, & Terra appellaretur. Sic Isai. 29, v. 21. accipitur.

D. Miram tu mihi mundi huius fabricandi originem & materiam a Deo creatam narras.

P. Atque huiusmodi esse oportuit, tum ut immensam summi, & optimi Dei potentiam melius intelligeremus, qui e tali tantaque rerum confusione, & e tantis tenebris tam admirabilem, ut ait Paulus 2. Corinth. 4. v. 6. ornatum, lucē, & usum eduxit: tum etiam quod quae res ita primum instituebatur, ut esset variarum formarum velut materia, receptaculum, susceptrix & matrix quædam, talis esse debebat. Quāquam fateor terram iam ab ipso suę creationis momento, suā, eamque propriā formam habuisse, sed quae, quatenus à nobis materia spectatur, alis posset admittere & induere. Itaque hæc eadem materia & terra vides quā pulchre a Deo aptata, & disposita ad formas

mas rerum postea suscipiendas nar-
retur.



C A P. XXIII.

*Abyssus aquarum cur huic materia &
terra superflua?*

D. **V**omodo istud?

P. **Q**uod aquarum vorago & aby-
sus commista cum illa terra tum tem-
poris fuisse dicitur.

D. At hoc ipsum auget horribilem tan-
tæ illius confusionis faciem.

P. Verum dicis, sed ex eo potentia Dei
magis illustratur. Atqui hæc etiā ipsa
aque cum terra coagulatio, & comini-
stio fuit omnino necessaria ad hoc i-
psum quod dicimus, nempe, ut esset
terra omnium terrenarum rerū, quas
ex ea oriri Dominus volebat, bene &
cōmode præparata quædam materia.

D. Explica teipsum.

P. Semen & materiam rerum omnium

formabilem esse oportuit, & ut ita lo-
quar, ductile & tractabilem, id quod
sine humore esse non poterat in terra.
Itaque terra humorem admistum ha-
buit, quæ natura sua sicca & dura quæ
dam res est, nec sibi cohærens, nec in
longum aut latum tractabilis, nisi col-
ligate, & emolliente humore talis fie-
ret. Vnde in eodem corpore creata
comprehensa que a Deo est vis illa im-
mensa aquarum, quæ dicitur abyssus,
sub qua terra ipsa informis conclude-
batur, & latebat. Ex quo etiam Chaos
maius, & magis ad explicandum diffi-
cile fuisse tota illa massa apparet, ex
qua tamen tanta pulchritudo, tantus
ordo, tantus nitor, tantaque venustas,
& illa quidem venustissima, a Deo pro-
ducta est. Quæ omnia in prima mate-
ria fuisse necessaria, etiam ipsorum
Philosophorum prophorum auto-
ritate demonstrarem pluribus, nisi lo-
cus ipse Scripturæ satis perspicue id
comprobaret.

D. Quomodo?

Dicit

P. Dicit enim Moses, & tenebra erat in superficie voragini utl abyssi, & Spiritus Dei agitabat sese in superficie aquarum, Genes. i. v. i. vt duo hic a nobis contra omnium Philosophorum sententiam statuere sit necesse. Primum quidem, materiam omnium operū, quæ postea a Deo producta sunt, nō fuisse ex illeē quandam rem & cogitationem, animo, potius, quam mole corporis cōprehensibilem: sed fuisse ingentem illam molēm & globum, qui postea in suas partes seorsum deductus, & dissestus terram hanc quam calcamus, & mare immensum quod nauigamus, continebat. Materiam enim primam tanquam tenuem & fugientem quandam umbram illi considerant, & propterea forma carentem. Quod fieri non potest. Neque enim res quæ existit, omnino carere formam potest: quia quod omnino forma caret, nihil est, neque propterea est. De qua sic in lib. cōtra fundam. epistol. Manichæor. capit. 29. informem quandam materiam sine specie,

sine qualitate, sine mensura, sine numero
& pondere, sine ordine & distinctione, con-
fusum nescio quid, atque omnino expers
omnis qualitatis. Vnde quidam doctores
Græci ~~āxōnō~~ vocant. Sed hanc sententiā
irridet Augustinus. Secundum effici-
tur, Non vnam quandam & commu-
nem rerum omnium visibilium mate-
riam primam esse constituendam, sed
diuersam, nempe rerum cœlestium
vnam, quæ est cœlum : alteram terre-
narum, quæ est terra & aqua , quæ &
eodem corpore comprehensa est , &
eodem tempore ad terram emollien-
dam creata, quæ tria sunt condita pri-
mum ex nihilo.

D. Sed quænā est illa abyssus & vorago?
P. Plane hoc ipsum quod postea mare
appellatur, sed appellatur abyssus a
Græcis: ab Hebræis autem Tehom.
Abyssus, quod fundo tanta aquarum
vorago & collectio careat, qui sciri,
tentari, & explicari possit, nimirū tam
alte patet, ~~ἀπὸ τοῦ θεραπεύοντος~~. Tehom autem
quod fremitu horrisono, & fragore
formida-

formidabili moueatur cōcutiaturque
tanta illa copia aquarum, quia suapte
natura fluctuat & in sese recidit & re-
voluitur, non autem manet quieta.

D. Sed de eo disputatur, utrum ea aby-
sus & moles aquarum infusa terrae ve-
nis & meatibus fuerit intus permista,
an tantum eius superficiei superfusa,
& superiecta: quia si superfusam tan-
tum dixeris, vix propterea mollesce-
re tanta terrae moles potuerit: sin au-
tem etiam commista terrae erit, &
Chaos horribilis effeceris, & natu-
rae elemētique illius duri liquefactio-
nem & emollitionem melius intelle-
xeris. Nec enim iis, quemadmodum
credo assentiris, qui illam abyssum a-
quarum tenuem, & raram tantum ne-
bulam fuisse sentiunt, quæ terram ob-
tegebant: id quod refert Augustinus.

P. Non assentior, sed quin utroque illo
modo, quem explicasti, magnū & hor-
rendum Chaos constituantur & demō
stretur, siue commista terrae, siue tan-
tum superfusa abyssus fuerit, non du-

bito. Nec etiam ambigi potest, quin
tot tatisque aquis circunfluum, & cō-
plutum terræ illius corpus satis mace-
rari, & colliquecere iā potuerit. Sed
tamen ut exponam quod ex sacrosan-
cto Dei verbo in hac quæstione sta-
tui mihi videtur posse, afferam quod
est scriptum Ps.104.v.6. de terra enim
loquens sic ait, *Voragine tanquam vesti-
mento operueras eam*: ut non commista
singulis terræ partibus singulæ abyssi
& aquæ guttæ fuerint, quod illi putat,
sed toti corpori terræ tota aquarum
moles incumberet, & in eius superfi-
cie innataret. Quemadmodum post-
ea tēpore Noe in dilunio factum est.
Cuius sententiæ hæc quoque ratio est,
quod & Spiritus Dei, & tenebræ, quæ
incumbebant informi illi moli, non
terræ ipsi, sed aquis & voraginis super-
ficiei superfusa scribuntur, vt terram
totam illa voragine fuisse inuolutam
& obiectam plane appareat. Deinde
cum die tertio separata est abyssus a
terra, congregata tatum sunt aquæ ex
illa

illa superfusione, & expansione, quæ super terram erat, non autem dicuntur aquæ expressæ e terra tanquam e spongia, quod tamen erat necesse.



CAP. XXIIII.

Tenebre cur super eadē molis & materiæ facie.

D. *Ed cur tenebræ super illam confusa materiæ faciem & molem erant?*
 P. *Vt eo magis immēsa illa Dei veri virtus, sapientia, & potentia eluceat, qui etiam confusa mole, & tot impedimentis concurrentibus, tam pulchrum rerum ordinem tam cito, tātaque vi sua eduxit, etiam cum modus ipse eius distinguendæ, (vt docet Paulus 2. Corinth. 4.v.6.) & explicandæ omnino alienus esset: solent enim omnia in luce distingui. Ergo etiā tenebræ erāt præter ipsam molis cōfusionem Deo obiecta. Quomodo igitur egit Deus, & ista distinxit, cum essent tenebræ vir-*

tute sua immensa & omnipotēti. Augent enim illæ maxime istius tantæ cōfusionis horrorem, faciuntque ut eius dissolutio & explicatio plane desperatum opus videatur. Nā si ad id quod confusum & iam implicatum est, tenebræ accesserant, omnis illius euolendi & explicandi sp̄s, & ratio adempta nobis erit, vt cuilibet mundi creandi & distinguendi viam, quam primum Dominus est ingressus, cogitati opus hoc non difficile tantum, sed plane impossibile cēseatur. Mundi autem iam distincti ornatum & formam intuenti, opus hoc ex prius digestissimis & ordinatissimis principiis, & partibus constitutis ortum esse iudicetur, & lucem primū ante res ipsas fuisse putet.

D. Num vero fit Deo iniuria, cū qui est sapiētissimus, optimus, perfectissimus, pulcherrimus, molem hāc materiamque primam tam confusam condidisse narratur, & tenebras cōstituisse, qui & potuit, &, vt videtur, debuit statim & primo quoque momento edere eā distinctam

distinctam & ornatam. Certe Manichæi cum hæc imperite cogitarent, & perperam animaduerterent, sunt decepti. Sed Valentiniani quoque eorum patriarchæ, propterea impegerunt. Nam impiis suis in hoc rerum genere cogitationibus inducti dixerunt, Mūdum hunc, eiusque exordia prima, & materiam esse fructum & effectum fœdæ cuiusdam labis, & ignorantiae Dei, non autem consulti cuiusdam numinis & opificis opus, quod sine horrore ne legi quidem possit. Aduersus quos disertissime atque etiam accute pater Irenæus lib. 2. ca. 3. Sed ut respondeam ipse, atque afferam quod ad hanc questionem pertinet: dico Dominum, qui, ut suæ gloriæ & potentiae notas diuitias faceret, omnia cōdidit, voluisse, hac potissimum via & ratione in mūdo creando se patefacere atque illis vti. Ergo quemadmodū Dei sapientissimi erat, viam, quam iudicauit esse ad sese patefaciendum optimam, eligere & inuenire: ita nostrum

est, eamque elegit, comprobare, ve-
nerari, & adorare. Fides enim ad hæc
Dei opera intelligenda regula & ani-
mis nostris dux esse debet, quæ si non
accesserit, nihil quicquam in hoc toto
Dei opere, et si patetissimo atque pul-
cherrimo, salutariter utiliterque co-
gitabimus. Nā vt est scriptum Hebr.
11.v.3. *Per fidem intelligimus constructum*
fuisse mundum. Hæc igitur, vanas inge-
niorum nostrorum rationes secuti, de-
finire non debemus.

D. At nonne hæc de tenebris materiæ il-
li primæ circunfusis narratio senten-
tiam Aristotel. cōfirmat de priuatio-
ne, quam tertium esse rerum omniū
principium ille statuit libr. I. Physici
auditus?

P. Apagesis istud de priuatione, tanquā
mundi principio, insomnium, & deli-
rium. Qui enim potest priuatio (quæ
res nulla est) rei caussa censerī? tanquā
ignem frigoris caussam dicas, & con-
tendas. Deinde priuatio Aristotelica
in ipsa materia hæret infusa: at tene-
bra,

bræ, de quibus Moses agit, extra materiae corpus fuerūt, & nullam ad formam suscipiendam commoditatem afferunt, quod tamen facit priuatio Aristotelica: imo potius spem omnē formæ inducendæ adimebant tenebræ, ut prorsus cum Mose pugnet Aristotel. consilium.



C A P . XX V .

*Spiritus Dei cursuper hac ipsa materia
& mole.*

D. DE materia prima huius mundi, eiusque mira confusione, &, ut ita dicam, cōtribulatione dixisti, exponere cur cōmemoratus sit a Mose Dei Spiritus.

P. Multis de causis, potissimum tribus. Primum quidem, ut mundi creationē non solius Patris & Filij, sed & Spiritus quoque sancti (qui ~~xxviii~~ ab illic est distinctus) opus esse intelligemus. Quāquam si proprius verba spe-

k.ij.

Ætes, vox, *Spiritus Dei*, notat eo loco
non personam illam tertiam Trinita-
tis infinitam, & nullo loco cōclusam,
sed ipsius tantum effectum & vires &
præsentiam quādam, qua se exere-
bat, & manifestabat illinc. Sed est in
Scriptura frequens, ut *Spiritus sancti*
& dona & symbola pro ipso accipian-
tur, & cum illa commemorantur, ipse
illic suo specialique modo fuisse intel-
ligatur, vti Matthæ. 3. quia alio nobis
modo, quam per illos suos effectus, &
dona innotescere nō potest. Ergo Spi-
ritus Dei suum in condendo hoc mū-
do munus, & explicate & distincte ha-
bet. Secundum, ut qua vi, & quo spiri-
tu illa tanta & prima moles etiam ab
initio sustentata fuerit, agnoscamus.
Non à se ipsa illa quidem, nō ab aquis
circunfusis, non a tenebris incumber-
tibus, quæ potius primam illam mate-
riam tāquam in vtero nascentem ob-
ruerent, & abortiuam facerent: sed a
Dei Spiritu illo omnipotente, omnia-
que vi sua diuina sustentante & viui-
ficante,

ficante, per quem illa terræ & aquæ moles immensa, & tam stupida subsistebat, vigebat, vegetabatur, sustinebatur, retinebatur, & (ut ita loquar) animabatur, ut ista omnia & eorum vires ad Dei unius gloriam referamus.

D. Quomodo id probas?

P. Quod Spiritu Dei etiā hodie omnia subsistunt & sustentantur, quanquam vim & naturam propriam iam sortita sunt, nedum ut illo tempore ab eo destituerentur, ut est Ps. 146. v. 4. 139. v. 7. 1. Timoth. 6. v. 13. Actor. 1. v. 28.

D. Quæ tertia ratio est?

P. Ut qua ratione, quo motu, quove progressu res omnes ex prima illa materia & mole a Deo extractæ, & educctæ prodierint, melius explicaretur. Vti enim hodie prima rerum semina, etiā postquam iacta sunt, videmus vi diuina non solum sustentari, sed etiam fueri, proritari, & calefieri ut parturiant, & quæ continent in se se conclusa corpora emittant: sic in illa prima rerum materia factū est, adeo ut pri-
k. iii.

ma rerum semina *idem spiritus* vi sua sustentaret & foueret, qui nūc eadem mouet, sed illa ipsius actio manifestius ostendebatur tūc, propterea quod nōdum erat verbo Dei indita vis aliqua ordinaria gignēdi, & producendi rebus ipsis. nam illa postea data est. Itaque potenter sese in iis manifestabat Spiritus Dei, & eam molem fouebat. Id quod etiam perspicue docet Moses ipso dicendi genere, quo est usus.

D. Explica tete.

P. Hoc quod dico non tantū verba Moses innuunt, sed plane demonstrant.

D. Quānam illa?

P. Hæc nimirum, & *spiritus Dei agitabat sese in superficie aquarum.*

D. Quid vero illa sibi voluit?

P. Spiritum Dei robur vegetū indidisse illi tam magnæ moli, non solum per quam esset, seseque sustineret, & tanquam portaret: sed etiam vim quādam inferuisse, iniecisse & excitasse in ea, per quam postea ad parturiēdum, & velut concipiendum incalesceret.

Vtrunque

Vtrunque enim notat vox Hebræa,
Merachephet. Nam nō solum susten-
tare & agitare significat, sed etiam fo-
uere, vti aues pullos suos fouent: &
vim incalescendi, sequē concitandi im-
mittere. Deuter.32.v.ii. quod Paulus
videtur conuertisse θάνατον. Ephes.5.v.
29. Quemadmodum idem Dei Spir-
itus Ps.139.v.7.operari dicitur, & emit-
ti, vt res etiam innum hodie gignantur,
& prodeant in lucem: qui si cesseret aut
subtrahatur, res nullę nascentur, quā-
tumlibet earum semina iacta sint, &
homines ipsi laborent, & enitātur, sed
suffocatæ in ipsis terræ visceribus &
matrum vteris iacebunt.

D. Sed cur illa spiritus actio & vis ex qua-
dam sui agitatione, motitatione & vē-
ti flatu descripta est?

P. Quoniam ipsius Spiritus sancti præ-
sentiæ & actionis symbolum fuit hæc
agitatio & flatus, vti coluba alibi fuit
eiusdem Spiritus sancti præsentis sa-
cramentum. Matth.3.ver.16. Alibi lin-
guæ igneæ operationis & donorū eius
k.iiiij.

figilla & notæ, Actor. i. Alibi etiam flatus emissio & spiratio ex ore, Ioan. 20. v. 22. Quanquā enim ille Spiritus Dei, qui est Deus, nō est vētus quidam, tamen eius operatio hoc agitationis & spirationis symbolo notata est, & designata: est enim viuificās spiritus: vita autem motu, & agitatione maxime perspicitur, & a morte discernitur, quæ est perpetua, & stupida rerum quies, 17. v. 28. vt ex ipso etiam symboli genere satis doceatur, quorsum ades- set Dcī Spiritus, & quid efficeret, ni- mirum vim iniiciebat.

D. Sed cur in superficie aquarum erat ille Spiritus, cum nec aquā fuisse crea- tam dixerit antea Moses, & potuerit etiam in istius molis meditullio latēs, vti fermentum quoddam, vel ignis to tam massam intus calefacere & sustē- tare?

P. Fuisse aquam vna cum terra prima e- ditam, & a Deo simul creatam satis o- stendit Moses, cum statim subiungat, *Et tenebra erant in superficie abyssi,* id est,

est, erant in aquarum mole. Vtrunque enim elementum fuisse vnicam corporis vnius molem, verba illa demonstrant, in conditam quidem illam primum, & quæ duobus illis iunctis constaret, nec in ea re dubitationis quicquam hærere potest. Cur autem in superficie & summo aquarum, id est, totius molis, non autem in imo vel medullio illa vis & Spiritus Dei appareret, ratio est, nō quod ille nō penetraret ad imum usque, & summam tantum molis superficiem non sustentaret, (Dei enim Spiritus iam tum ad inferos usque pertingebat, Psal. 139. v. 7. & singulas istius molis partes etiam abditissimas vi sua replebat, & permicabat) sed quod cum sic ista omnia, & fieri, & extare voluerit Deus, ut in his manifesta, perspicua, & facilis cognitu, non autē latens & occulta eius potentia esset, in superficie totius molis, & in aperto, non autem in imo fundo, vel in medio eius, id est, in abscondito symbola illius oportebat apparere, &

fese proferre. Deinde oportuit eundē Spiritum totam molem non tantum vnam & partem amplecti & fouere, quod illa spiritus circū vniuersam mōlem gestatio & volutatio factum fuisse demonstrat.

D. Cur autem terram, aquam, & cœlum vocat, quæ nōdum vel hoc nomine vel propria natura distincta erant, & donata? nam sequentibus diebus post res iam secretas ita nominata sunt.

P. Cœlum quidem ipsum iam tum fuit factum a Deo, & nominatum cœlum, sed ratio nomen & etymon ex posteriore opificio, quod est secundæ diei opus & expansio, intelligitur. Itaque per πρότυψιν, & anticipationem quandā ita appellantur Cœlum & terra, ne si ita corpora nullis nominibus & vocabulis designarentur, res ipsa explicari nō posset. Præterea quod cum res ex suis propriisque nominibus dicuntur postea appellatae, non alia quedam iis substantia, indita est, sed eadem retenta, quæ inerat illis, cum adhuc confusæ erant,

erant: sed tantum ornatus additus, per quem tum ab aliis, quæ diuersi generis erant, fuerunt distinctæ: tum ipsæ in sese formationes factæ.

D. Quid autem? Tunc Anaxagoræ sententiam probas, aut reuocas, qui omnia omnibus primum putat cōmista fuisse, & ex quolibet fieri quodlibet, & rerum ortum nihil aliud vocat, quam *ārānēsītū* & distinctionem ex confuso quodam, cui prius inerant, aceruo.

P. Minime id quidē, nec enim in illa terræ mole, de qua iampridem dispueto, vel arbores iam cōditas, vel homines formatos, vel pecora iam procreata latuisse dico, & quibusdā in uolucris obiecta & implicata extitisse, id quod sensit Anaxagoras: sed id ipsum refutat Moses, qui quæ sequētibus diebus sunt producta, demonstrat fuisse facta, non tantum secreta, nec ex aceruo vel quodam penu rerum de prompta, separataque. In illa tamen prima materia, vere quidem dixerim cum Augustino, infusa fuisse semina primordia-

liter & radicaliter, rerum ex ea postea prognatarum, quæ nec quidem ab ipsius terræ substantia diuersa erant, & in illius tamen visceribus inclusa late-rent: sed quod verbo & spiritu agente apta effecta terra res illas postea produxit, quas ex ea extare Deus voluit. Denique quomodo rerum omnium illâ σύγχυσι Anaxagoricā inducimus, qui tam aperte rerum cœlestiū materiam a rerum terrenarum materia diuersam & separatā in sacra Scriptura legimus? Rerum enim cœlestiū tanquā materia fuit, ut puto, illud cœlum, quod vna cum terra a Deo prima die creatum fuisse traditur.



C A P. XXVI.

*De rerum cœlestium, quæ sunt visibiles,
materia.*

D. Sed de illo primo cœlo rerum cœlestium seminario quid sentiendum est?

Fuisse

P. Fuisse illud non locum istum, qui aer sive expansio dicta est, & sequenti die creata est: Genes. i. v. 8, sed potius materiam rerum cœlestium a Deo preparatam, quæ generali nomine cœlū appellatur.

D. Quale vero fuit illud cœlū, quod materiam cœlestium vocas?

P. Primum quidem obscurum, tenebrosum, & si substantia quidem erat subtilissima, sed informe & inornatum nondum ab illa terræ & aquæ mole loco spatioque ullo interiecto separatum, ut appareat Genes. i. v. 6. sed adhuc illi adiunctū & vicinum sive contiguum.

D. Sed fueruntne illi cœlesti materiae macerandæ necessariæ aquæ, quemadmodum terrenæ, ut ex ea postea cœstia producerentur?

P. Apagesis. minime enim legimus cœlestia illa corpora, qualis sol, luna, astræ, totaque illa cœlestis regio, quæ dicitur, quæque supra elementarem a Deo collocata est, e cœlo ita producita, quemadmodum e terra terrestria.

Nec enim sicut dictum est Genes. i. v.
ii. germinet terra germen herbā pro-
ducentem semen, & producant aquæ
reptile, Genes. i. v. 20: ita scriptum aut
a Deo præceptum fuit, Producat cœ-
lum solem & lunam: sed sic, Sint lumi-
naria in expansione cœli. Genes i. ver.
14. ex quo satis liquet cœlum illud pri-
mum non eo modo cœlestium ma-
teriam extitisse, tanquam fœcundus,
& prolificus quidam eorū pater fue-
rit: nec eodem etiam modo materiam
cœlestium destinatum: quo terra ter-
restrium materia & matrix a Deo cō-
stituta fuit.

D. Cur autem Dominus tam vario mo-
do ex iis materiis res esse, & effici vo-
luit, nec eadē ratione cœlestia ex cœ-
lo, vti terrestria ex terra nasci?

P. Non tantum idcirco, quod quemad-
modum diuersæ materiæ dissimilisque
generis erant ab ipso conditæ (quan-
quā tamē omnes sunt corporeæ) diuer-
so quoque modo eas fungi vñsumque
sui præstare oportet, vt earū differē-
tia

tia intelligeretur & obseruaretur: sed etiam ut in tanta producendi varietate, Deus melius tum immensam potestiam suā, tum etiam illā suā ~~trāutōis kālōt~~ sapientiam nobis ostēderet. Sic in uno & eodem homine formando alia ratione corpus: alia vero animum ipsius Deus creauit, & adhuc, creat & finit, qui eadem ratione vtrunque producere potest.



C A P. XXVII.

Mundi forma quæ.

- D. Hactenus de materia huius mundi, nūc de forma expone si quid habes.
- P. Cupio.
- D. Ecqua igitur huius tanti operis forma est?
- P. Vnica quidem, quæ ~~oīsīas~~ sit, statui minime potest. Nam, ut antea docuimus, non potest esse vnica & singularis quædā totius huius mundi anima,

quæ in singulas eius partes tanquam corporis artus diffusa ciet, agat, moveatque tantam hanc machinā & mollem, quicquid Aristotelici & Platonici sentiant. Atque etiā recte negat Augustin. libr. 7. de Genes. ad Liter. cap. 12. Deum huius mundi tanquam animantis animam esse, quando ipse supra mundi corpus omnemque spiritum habitat, atque etiam extra mundi totius fines diffunditur. Sed sua cuique rerum generi & natura & forma a Deo data est, de qua in singularibus tractatibus, qui institui de singulis generibus solent, disputatur. Rotunditas autem illa, quam mundo quidam tribuunt, uti formam, non interna & ~~exteriora~~, id est, essentialis mundi forma censi dicive debet, sed accidentalis tantum & externa.

D. At nonne Scriptura mundo partes tribuit, & situs differentias, tanquam animali, atque etiam distinctas inter se regiones?

P. Tribuit, sed quæ propterea esse ynam &

& eandem totius huius mundi formā spiritum, & animam non probent, nec eum esse animal euincant.

D. Cur ita?

P. Quia cum corporis, & coalitionis sit genus triplic, unum simplex, & continuum, qualis homo: secundum contiguum, qualis tota aliqua domus: tertium disiunctū, qualis grec: recte quidem dicitur omne genus corporis tāquam totum quoddam partes semper aliquas habere, in quas disslocatur, & situs siue loci diuersas differētias, quæ possunt in eo notari: vna tamen anima, & spiritu uno, vel forma vna omne genus corporis non continetur: sed illud tantum, quod simplex, & continuum est a nobis appellatum, velut singuli nostrum.



CAP. XXVIII.

Demundi partibus, & primum de ætherea & clementari regione.

l.j.

D. **Q**uænam sunt igitur mundi præcipuæ partes, quas refert Scriptura?

P. Varij quidem generis. Aliæ enim sunt **integrales**, & totum ipsum mundum cōstituentes quas ^{ostris} appellamus, aliæ vero distinguētes tantum, & certi tantum usus certarumque commoditatum gratia definitæ.

D. Quæ sunt vero mundi partes integræ, & eum constituentes?

P. Summatim quidem duæ in Scriptura fere proponuntur, cœlum, & terra: vti Colos. i. vers. 16. Genes. i. & 2. Isai. i. v. 1. & infinitis pene aliis locis: quāquam Gene. 49. v. 25. Cœlum & abyslus enumerantur.

D. Quid tunc Cœli nomine complectitur Scriptura?

P. Illam omnem vniuersitatis huius regionem, quæ ætherea a Philosophis dicta est, & continet cœlestia, & ingenierabilia corpora quæ perdurat, neque à die suæ creationis sunt mutata, vt ait Petrus 2. Petr. 3. v. 4.

Quid

D. Quid terræ appellatione?

P. Non hoc solum corpus & elemētum, quod proprietatem nominamus, sed totam illam mundi huius regionem, quæ à Philosophis elementaris dicitur, & quæ genitabilia corpora, quotidie variātia & mutabilia habet.

D. Differuntne hæ regiones duæ?

P. Maxime & re & nomine. Ac nomine quidem, quod illa prior cœli vocabulo: hæc posterior mundi pars elementorum appellatione etiam a Scriptura designatur. Nam Petrus 2. Petr. 3. v. 10. & 14. voces has οὐ παντες, & ταχέις distinguunt. Re autem, quod illa durat, & in suo statu perstat: hæc quotidie mutatur & vices nascendi pereundique habet. Illa Deo reseruata, hæc hominum usui concessa dicitur, Ps. 115. v. 16. Illa stridore tatum & leui perstricta flammæ extremo die peritura doceatur, quod subtilis omnino & tenuis naturæ sit. Hæc autem astu, & magno ignis incendio cremata conflagrabit, & dissoluetur, adeo ut quod in terre-

nis lignis fieri videmus cū adurūtur, nimirum vt crepent, exhalent, & aliquem vaporem emittant, qui ex humidioribus partibus exit: ita dicitur elemēta æstu átia fore & lipuefactum iri, quod sint naturæ durioris, crassioris, & spissioris, minusque puræ, & defæcate. Sed & hæc quoque differentia inter vtranque mundi partem obseruari potest, quod quæ in priori illa insunt, sunt caussæ efficientes vel principia earum rerum, quæ hic gignuntur. Itaque sunt extra res ipsas, quas producunt. Sed quæ in secunda & elemētari mundi parte cōtinentur, sunt earum ipsarum rerum, quæ hic sūt, materiales caussæ. Itaque in ipsis rebus insunt, earumque substantiam consti-tuunt, & componunt: quod vocabulum elementi propriæ sumptum significat.

D. Quousque autem patet vtraque regio, & quæ sunt vtriusque extrema vel fines?

P. Dicam nunc breuiter, alias fortasse latius

tius: ætheream regionem & cœlestē,
quidam a summo cœlo ad lunę orbem
definiunt. Elementarem autem ab co-
loco, qui huic orbi & spheræ subiicitur
ad imum usque terrę cētrum. Alij
tamen lunam ipsam ad terrenam & e-
lementarem mundi regionem potius
putant pertinere, de qua varia homi-
num opinione videndus est Plutarch.
in lib. de facie quæ in lunæ orbe appa-
ret. Sed prima sententia verior nobis
semper visa est.

D. Quid igitur de ea generali rerum di-
stributione sentis, per quam quæ sunt
in hoc mundo omnia distribuuntur
non in duo, sed in quatuor rerum ge-
nera, nempe earum quæ sunt in cœlo,
super terram, sub terra, & in mari, ve-
luti Apocalyps. 5. v. 13. & Paulus tria
rerum genera manifeste distinxit, sci-
licet *πουραῖοι, ἄπειοι καὶ καταχθοῖοι*, id est
cœlestium, terrestrium, & subterra-
neorum, Philip. 2. v. 20.

P. Illæ de quibus dixisti rerum vniuer-
sæ partitiones, & si quæ sunt aliæ ad

* hæc duo rerum genera summa quæ proposui, possunt facillime reuocari. Nam quæ terrena, & elementaris regio dicitur, complectitur omnia quæ super terrā, & in terra, & in mari sunt. Imo etiam ea quæ subterranea nominantur, quæ fere in Scriptura nihil aliud sunt, quam ea quæ sunt in mari, uti apparet ex interpretatione, quæ ab ipso Deo facta est, Exo.20..4. Aetherea autem cōpletectitur omnia cœlestia, quæ dicuntur.



CAP. XXIX.

*De mundi Ortu, Occasu, Septentrione,
Meridie.*

D. **D**ic iam de eo partiū generē, quas distinguentes tantum, non etiam constituentes appellasti.

P. Illæ sunt quatuor Hebræis vocabulis ita designatae, קֶדֶם Quedem, יְמִין Iamim, תֵּשֶׁב Tsaphon, וְנָבָע Negeb vel Iamim. Græcis autem sic Ανατολή,

Δυσμὴ, Βόρης, Μεσημβια. Latinis etiam hoc modo, Oriens, vel Ortus, Occasus, Septētrio, Meridies, quas omnes hoc vocabulo, Adam comprehensas & designatas putat Augustin. Hebreā Græcis adaptans.

D. Sed quæ horum vocabulorum impo-
nendorum ratio fuit?

P. Græcorum quidem & Latinorum nihil necesse est quæri etymologias, cū vulgo pateant. Hebræarum autem appellationum hæc est fere ratio, Ortus dicitur *Quedē*, quia est prior siue anterior mundi pars. Occasus autem *Iamim*, quod mare significat, quod ad plagam & regionem mundi occidentalem sit magnum illud mare, quod Mediterraneum appellatur. Septentrio *Tsaphon* quod occulta, & ignota ea mudi pars Hebræis hominibus fuerit, si terræ regiones species & populos, quibuscum nullum commercium propter longinquitatem locorum habebant. Vnde contra illis euenit, quā nobis, qui septentrionalem & arcticū

polum assidue videmus. Antarcticum autem semper absconditum habemus. Meridies autem dicitur ab iis Negeb, quod ea mundi regio perpetuis solis ardoribus sicca sit, exhausta, & adusta, vel etiam Iamim prima longa, ut a priore Iamim differat, quod est prima syllaba breui, quia nobis versus Orientem spectantibus, Meridies ad dextram sit, non ad sinistram.

D. Vbi vero haec quatuor mundi plaga in Scriptura commemorantur?

P. In infinitis pene locis, a quibus haec pauci a nobis afferentur. Genes. 13. 14. & 28. v. 14. Ps. 107. v. 3. Isa. 47. vers. 5. 6. Ps. 75. v. 7.

D. Cur autem has partes distinguentes tantum nominas?

P. Quia usus commoditatisque hominum gratia a nobis obseruantur.

M. Cuius vero commoditatis?

P. Maxime quadruplicis, & quibus duae publicae & omnium hominum usum spectant: duae priuatam cuiusque regionis, & loci commoditatem.

Explica.

D Explica.

P. Ad omnium hominum vsum hec plagarum distinctio necessaria fuit duabus de caussis. Primum, ut vniuersitate rae atque orbis huius nationes, & populi inter se distinguerentur, quoru alij ad ortum solis, alij ad occasum habitare dicunrur, alij ad Septentrionem, alij ad Meridiem. Deinde ad solis ipsius (quo nationes omnes vntutur) cursum notandum, qui ab Oriente progressus per Meridiem in Occidentem tamdem peruenit. Denique ad vim & originem ventorum explicandam. Quae omnia nisi distinctis istis quatuor mundi plagi intelligi & obseruari non possunt. Quod autem ad priuatum etiam vsum, fuit omnino necesse easdem discerni. Primum, ut cuiusque regni, populi, & regionis situs & limites describantur: Deinde ut in quo territorio aedificiorum, agrorum, locorum termini, & fines designarentur, & pangerentur, lisque de finibus agrorum, melius tam tolleretur inter homines priuatos.

D. Intelligo quæ dicis; sed hæ regiones ipsane rerum natura distinctæ sunt, tantum hominum opinione constitutæ, ut quam mundi plagā quisque populus vel homo priuatus velit, Ortū vel Occasum faciat, itemque Septentrionē, vel Meridiem: quoniā quæ regio cœli vel terre Tsaphon & occulta Iudæis est, diciturque Septentrio: ea sæpe nobis aperta, patens & conspi cuia est, ut omnibus Septentrionalibus populis, Septentrionalis cœli regio quæ fuit Iudæis ignorata. Et contra cœli regio Meridionalis, & polus mudi, qui illis cōspicuus est, nobis est occultus, qualis Canopus qui dicitur. Denique quæ illis dextra est pars mundi, nobis & aliis est sæpe sinistra. Vnde illud Vergilij de polo Arctico loquens,

*Hic vertex nobis semper sublimis: at illum,
Sub pedibus Styx atra videt, manesque profundi.*

Item & illud Lucani poetæ,

*Ignotum nobis Arabes venistis in orbem,
Umbras mirati nemorum non ire sinistras.
& cætera similia.*

Minime

P. Minime vero. Sunt enim natura ipsa definitæ hæ mundi plage, quando nec ortus alibi esse potest, quam vbi sol oritur: nec Occasus, quam vbi occidit. Nec Septentrio Meridiesve, nisi in cōtrariis & plane oppositis mūdi partibus constitui: Septentrio, vbi Septētrionales populi habitat: Meridies autem in aduersa parte. Et si enim Ortus & Occasus solis hic ~~unum~~ mās, non autem ~~trāmū~~, & in uno quodam cœli pūcto a nobis accipitur (quia aliis est solis hortus hybernus, alius vernus, alius aestivus) in certa tantum mundi parte & eadem semper sol oritur, nec certas metas transgreditur, quas illi Dominus ad cursum suū toto anno peragendum eonstituit. Ergo nō opinione tantum hæc plagarum mundi distinctio cōstat, aut cuiusque arbitrio: sed natura ipsa, & vera rerum separatiōne, & experientia definita est.

D. De quinque illis plagiis, & zonis, quas in cœlo & in terra Astrologi delcribunt, de quibus ita Virgilius,

Quinque tenent cælum zonæ: & illud.

Totidemque plæs tellure præmuntur,

Quarum quæ media est non est habitabilis æstu.

Nix retigit alta duas, quarum una ad Septen-

trionalem polum, altera ad antarcti-

sum: Medias inter utræque locauit,

Temperiemque dedit mista cum frigore flamma.

Itaque habitabiles appellantur, dic
quid sentias.

P. Quanquam tam aperte Scriptura ista
 non distinguit, tamen ipsa vocat aliud
 Aret^s, & terram: aliud autem Tebet,
 & orbem habitabilem. Isa. 34.
 v. 1. 38. v. II. vnde quasdam mundi hu-
 ius regiones commodius, frequētius-
 que habitari docet, quando & frigo-
 ris & æstus vim sæpe esse hominibus
 intolerabilem videmus. Psal. 149. vers.
 17. Psal. 91. v. 6. Psal. 121. vers. 6. Itaque
 experientia ipsa id verum esse docet,
 nec eam mundi partitionem, quia v-
 sum aliquem habet, reiiciēdam puto,
 quāquam ista nouis hominum nostri
 seculi nauigationibus perlustrata cō
 modius

modius etiam percipi possunt.



C A P . X X X .

*In mundo ubi Sursum, Deorsum, Ante,
Retro, Dextrorum, Sinistrorum.*

D. **D**ic iam de diuersis situs vel loci differentiis, quæ in mundo designantur & notantur.

P. Sunt numero sex, atque ex tribus iis dimensionibus, quæ sunt corporum propriæ, sumuntur. Nempe sursum, deorsum, ante, retro, dextrorum, sinistrorum.

D. Quomodo id?

P. Quia habet corpus omne naturale, ut sit longum, latum, & altum, siue solidum, id est, spissum. Nam quæ planæ, & in immensis fiunt delineationes, superficies tantum sunt, non corpora. una quæque igitur ex iis tribus dimensionibus per rectam lineam sumitur, & designatur. At omnis rectæ lineæ sunt duo extrema. Ergo trium illarum di-

mensionum siue linearum rectarum erunt extrema sex, quæ totidē diuer-
fas loci vel situs differentias consti-
tuunt, & distinguunt. Ac in longitu-
dine sursum, alterum extremū appel-
lamus, alterum autem deorsum. In la-
titudine dextrum & sinistrū colloca-
mus. In altitudine siue soliditate, An-
te & pone. Quanquam hæ duæ poste-
riores differentiae non in omni corpo-
rum genere obseruari possunt, sed in
eo tātum quod animalis corpus dici-
tur & sensu præditum est.

D. Quid vero? Tu tres tantū corporis di-
mensiones enumeras, cum Paulus cō-
memoret quatuor, μῆκος, πλάτος, ὕψος, ταχί-
νη, id est, longitudinem, latitudinem,
profunditatem, & altitudinem. Ephes.
3. vers. 18. vti Iob II. v. 8. 9. eadem com-
memorantur.

P. Re&te meministi. Sed duæ illæ, nimi-
rū profunditas, & altitudo re & sub-
iecto idem sunt, ratione autem tātum
inter se distinguuntur.

D. Explica teipsum.

Quemad-

P. Quemadmodum est eadem via, ait Aristote, quæ Athenis dicit Thebas, & quæ Thebis dicit Athenas: quemadmodum in eadem scala, & in iisdem gradibus re ipsa & subiecti ratione idem est ascensus & descensus: ascensus quidem, si ab imo ad summum gradū scandas: descensus autem si a summo ad imum delaberis. Sic idem est re ipsa altitudo, & profunditas, sed altitudo tunc dicitur, cum ab imo ad summum suspicis, & oculis contendis: Profunditas cum a summo ad imum & fundū oculos deiiciis, ut pro vtraque dimensione vna tantum linea nobis sumenda sit. Atque ita sit, vt sint tantum sex differentiē loci, non autem octo.

D. Ecquę igitur in hoc mundo regiones dextræ, sinistræ, priores, posteriores sublimes, humilesque vel sunt, vel dici debent?

P. Certe si quam varię de ea vna re sunt hominum sententię pluribus explicem, ero non modo molestus, sed extra suscep̄ti argumēti fines euagabor.

Aliter enim Astronomi & alibi eas definiunt, aliter augures qui dicti sunt, aliter historici. Denique in eo ipso est etiam sua quibusdam gentibus & peculiaris opinio, & sententia, veluti Aegyptiorum, qui cum Orientem anteriorem mundi partem esse velint, Occidentem etiam posteriorem: Dextram tamen in Septentrione, Sinistram autem in Meridie statuunt, uti Plutarchus in Iside scribit, contra quam & ipsa rerum natura, & consequutio ferat, & patiatur. Aristotel. vero Oriens est dextra mundi pars, Occidens sinistra, quia sic mundus mouetur, ait, quemadmodum homo a dextris in sinistram motus & progressus sui initium inchoans, cui necessario erit Septentrio dextra, Meridies autem sinistra Mundis pars, & regio. Varro libr. 6 de lingua Latina aliud sentit, Sinistra esse ab Oriente, Dextra ab Occasu, antica ad meridiem, postica ad Septentrionem. At vero scriptura aliter.

D. Quid illa?

Orientem

P. Orientem vocat anteriorem mundi partē, idque constanter: Occidētem vero posteriorem: Meridiem, dextrā. Septentrionem autem, sinistram.

D. Vnde id probas?

P. Imprimis ex illo Iobi loco qui est cap. 23. v. 8. & 9. & quia omnino consequēs est, ut si ad Orientem anticam mundi partem constituas, sit Septentrio sinistra. Meridies dextra mundi pars, ut nobis ad Orientem cōuertentibus faciem, & spectantibus facile apparere potest, & hoc ipsum necessario colligi quoque docet Dionys. Halicarnass. lib. 2. Αρχαγονος.

D. Cur autem Orientem faciem, & anticam mundi partem facit Scriptura?

P. Quod quemadmodū in facie & priori parte hominis sensus nostri sunt collocati in primisque oculi, lumen, & vultus noster, sic ab ea mundi parte lux primum oritur nobis. Vnde fit ut eodem etiam omnium hominum vultus sese conuertant, imo etiam beluarum, quæ cum mane in agris, & pratis

m.j.

paſcuntur, Orientem ſolem propter lumen ſpectant. Itaque natura ipta duce hanc mundi partē omnia fatentur & agnoscunt eſſe tanquam faciem, oculos, & antica mundi.

D. Imo vero iſta in mundo diſtingui potius videntur nostri ratione, quam na- tura.

P. Certe nostri maxime ratione ſic mun- dus diſtinguitur. Nam in circulo pro- prie & per ſe nihil dextrum, nihil ſini- ſtrum, nihil ante, nihil pone accipi po- test, cum ſint omnes circumferentia- partes in eo figurae genere æqualiter ſitæ. Itaque recte Arnobius li. 4. *Mun- dus ipſe per ſe ſibi neque dextras (ait) ne- que lauas, neque ſuperas regiones habet, neque imas, neque anticas, neque poſticas.* *Quicquid enim teres eſt, nullum habet ini- tiūm, nullum finem.* Itaque cum dicimus dextra eſt haec regio, haec leua, nō ad mun- di habitum dicimus, ſed ad poſitionem no- stram ſiuimque reuocamus. Haec ille. Ex quo etiam ipſo appetet, quam iuulfia ſit, & nullo fundamento innitatur, ea antiquo-

antiquorum Hetruscorum augurum sententia, qui læua fulmina, læua auguria, læua cœli signa fœliciora natura ipsa iudicarunt, quam quæ ex alia mundi parte coruscabant. Nam quod mihi læuum est, tibi dextrū erit, quia ex hominum diuersa ratione istæ loci & situs differentiæ variant, & mutantur.

D. Quid autem, sursum & deorsum notatne etiam Scriptura in mundo?

P. Aperte.

D. Vbi?

P. Iobi cap.ii.v.8. & 9. & Exod.20.v.4.

D. Ecqua vero mundi pars superior, & ecqua inferior?

P. Tota cœlestis regio superior dicitur.
Terrena vero, & terra ipsa, inferior.

D. Vnde probas?

P. Ex superioribus Iobi & Exodi locis,
cui coniungas licet Rom.10.v.6. Deuter.5.vers.8. & alios similes pene infinitos, vti Isai, 44.v.23. Proverb. 25. v.1.

D. Quid autem, id ne natura ipsa, an hominum tantum opinione constat, vt sit
m.ij.

vna mundi pars superior, altera inferior.

P. Natura, quia & quæ levia sunt sursum natura tendunt, illa autem petūt cœlum: & quæ grauia, deorsum, illa autē descendunt in terram. Deinde si causarum ordo spectetur, hic est a Deo constitutus, ut superiores agant in ea quæ sunt inferiora: at cœlum agit in terrena hæc, & eius influentiae & effectus a nobis varie sentiūtur, multaque in terra vel producunt, vel extinguit nimiis veluti pluviis, vel æstu. Ergo cœlum est natura loci, & situ ipso superiorius quam terra.

D. At de eo grauis est Augustini disceptatio lib. 83. quæst. 29. quærit enim vtrum in hoc vniuerso qui circulari figura continetur aliquid sursum, aliquid deorsum designari possit, cū partes omnes æquali situ iaceant.

P. De circuli ipsius circumferentia hoc fortasse queri potuit, quod voluit Augusti. vtrum eius pars vna sit inferior, altera superior: sunt enim omnes inter se

se æquali situ. Sed de rebus ipsis, quæ circulo comprehenduntur, caret hæc quæstio omni dubitatione. Nam in omni circulo circumferentia est superior eius pars, centrum vero inferior: ad quam partem quæ res proprius accedunt, sunt quoque inferiores uti, superiores eæ, quæ viciniores sunt circumferentiæ circuli.

D. Ecquod vero est mundi medium?

P. Medium mundi dupliciter peti potest, vel substatiæ ratione, vel loci, id quod summus philosophus Plutarchus in libro de contrarietate Stoicorum primus obseruauit. Est mundi medium ratione substatiæ non unum quoddam corpus, sed multa, qualis aer, & aqua, & quæ partim cœlestem, partim terranam naturam participet. Loci autem ratione medium mundi statuitur Terra ab his, qui mundi ambitum, & circumplexum rotundæ & sphericæ figure esse contendunt: quia, ut volūt, terra centri locum tenet totius huius universi comparatione. De quo etsi

m.iiij.

pugnāt ij, qui aliquos esse Antipodas negant, id quod & Lactantius & Augustinus probati scriptores fecere, tamen Antipodas esse verius est, & credibilius, quum etiam nihil pro Lactatio & Augustino ex Scriptura afferri possit, & res ipsa eos esse aperte monstret, nimirum regionum situs, & polorum eleuatio.



C A P. XXXI.

Mundi finis præcipuus, Dei opificis gloria & cognitio.

D. **H**actenus de mundi caussa efficiēte, materia, & forma dixisti, restat quarta & ultima explicanda, qua est finalis, de qua abs te quæro, quis fuerit huius mundi creandi finis, quæ notat Scriptura?

P. Recte tu quidem addidisti, quem notat Scriptura. Nam e philosophis, uno modo Platone vel Trimegisto excepto, nullus est, qui etsi mundum hunc admiretur, explicet tamē qua de caufa extiterit, & quis sit vel illius nascēdi

vel nunc subsistendi finis. Acne Ari-
stoteles quidem, quanquam de rerum
natura plus minus 30. libros varie scri-
psit, qui hodie extat, & hominum ma-
nibus teruntur.

D. Quis igitur, & creandi, & conseruan-
di mundi finis est?

P. Vt vno verbo dicam, Deus ipse æternus & immortalis, propter cuius gloriam agnoscendam & celebrandam conditus est.

D. Vnde id probas?

P. Non equidem tam quia sic scribit pa-
ter Ireneus lib. 2. cap. 64. quam quod
ipse Dei Spiritus ita nos docet. Pri-
mum enim omnia propter Dei ipsius
veri, & qui nobis in verbo suo patefa-
ctus est, gloriam creata esse tradit a-
perte sacra Scriptura, Proverb. 16. v.
16. tu deinde Paulus, qui τὸ γνῶστὸν τοῦ θεοῦ
ex rebus his creatis & conspicuis ha-
beri scribit, Rom. 1. v. 20. Est enim hic
mundus familiaris & communis om-
nium gentium, populorum, nationum
liber, & pulcherrimum speculum, in
m. iiiij.

quo Dei potentia, sapientia, bonitas se dilucide cernendam, intuendam & agnoscendam proponit, quemadmodum copiose docetur Psal. 29. v.1.2.3. 4.5. cui coniungas licet quod est in libros sapiētiæ. 13. v.1. & 5. Vnde illud est Iobi cap. 36. v.29. *Memento ut magnifices opus eius (Dei) quod contemplantur homines, quodque omnes homines vident, & homo intuitus emittit.* Itaque Isaías cap. 44. v.23. non homines modo, sed & reliquias creaturas ad laudem Deo cauendam inuitat. Quod idem fit Psalmo 147.

D. Sed cum Dei gloria sit virtutū excellētiæque eius prædicatio, ecqua Dei virtutes, ecqua eius supereminēs magnitudo in huius mundi speculo elucet, in quo tot rerum confusiones cernuntur?

P. Infinitæ illæ quidem & innumerabiles virtutes, excellentia etiam, & maiestas tam augusta & incomprehensibilis sese nobis offert, ut etiam Deitas ipsa ~~de~~ æterna in huius mundi intuitu

intuitu & contemplatione vere corrufet, ut ait Paulus. Sed ne per omnes spatiemur, & ut disputatio hæc finem aliquem tādem inueniat, ad trium potissimum' Dei virtutum cognitionem mundi huius finem contrahemus, & reuocabimus.

D. Ecquæ sunt illæ?

P. Potentia, sapientia, bonitas.

D. Cedo mihi earum rerum exemplum.

P. Primum potentia Dei in huius mundi opificio apparet immensa, & plane infinita, longeque omnem humani ingenij captū viresque superans. Quod Deus ex nihilo hæc: quod tot numero, & quod tanta mole, quod tam spatiofa loco creauit. Quæ cū per se singula spectantur, & considerantur, maximas omnino opificis vires requirunt: cum autem vniuersa cernuntur, prorsus incomprehensibilem, & infinitam illius potentiam fuisse demonstrant. Hanc Dei potentiam ex mundi creatione nobis agnoscendam meditandā que proponit tum Ps. 19. nominatim:

tum etiā is qui est numero 145. Quid enim omnes alios Scripturæ & Prophetarum locos hic commemorem?

D. Cedo sapientiæ Dei exēplum ex mūdi huius opificio, & contemplatione.

P. Facile illa perspicitur. Primum quod in vno & eodem tota, tam varias tamque multiplices partes, & rerum genera tam diuersa posuit, deinde quod cuique generi suam vim & naturam, eamque ab alias separatam dedit, postea quod cuique naturæ certum propriumque locum & motum tribuit. Denique quod nō modo singulis rerum generibus, sed etiam singulis singularium individuorum partibus usum, finem, & propriam utilitatem, effetumque assignat. Itaque nihil vel etiā minimum frustra effecit illa Dei sapientia, quæ vere est, quemadmodum appellat Paulus, πολυπολιτείας. Ephes. 3. v. 10. Cœlos igitur intelligentia inscrutabilique plane sapientia fecisse dicitur, Psal. 136, v. 5. & cū hæc mundi machina cogitanti Davidi animo obuer-saretur,

saretur, exclamauit, *Mirabilior est scien-*
tia tua super me, excelsa est, non potero eā
attингere. Psal. 139. v. 6. cui addi potest,
quod Ecclesiastici capit. 39. v. 26. Hęc
nostra sententia etiam Prover. cap. 8.
v. 27. 28. & seq. & cap. 21. v. 30. confirma-
tur, & ex eo etiam ipso. quod quae di-
uersae, sibique contraria sunt hominū
& rerum qualitates & naturae, utiliter
eadem Dei sapientia sunt tales crea-
tæ. Nam & pauperem & diuitem sa-
pienter fecit distinxitque Dominus,
Proverb. 22. v. 2. Denique, que a nobis
leuia paruaque censentur, uti musca,
vermis, papilio, in iis etiam Dei sapien-
tia apparet mirabilis, adeo ut verum
esse agnoscamus illud quod a Plinio
profano homine dictum est, *Nusquam*
magis tota natura quam in minimis.

D. Quid Dei bonitas, eane in huius mun-
di opificio, & creaturis illustris appa-
ret?

P. Maxime. Quanquam enim in redem-
ptione humani generis, quae per Do-
minum nostrum Iesum Christū facta

est, & maior clucet: tamen illa summa & incomprehensibilis in huius mundi creatione, constitutione, conseruationeque nobis patefacta est.

D. Ostende.

P. Primum, hæc summa Dei bonitas est, quod esse & existere voluit, quæ ante a non erant. Deinde quod iis ut essent, vitam naturamque dedit, quæ ab alio, quam ab ipso (qui omnis vitæ fons est) hauriri nō potuit: postea quod singulis rerum generibus suum quendam peculiarem, & cum etiam commodissimum, & cōuenientem cibum & pabulum nō modo semel assignauit, sed dictim parat, distribuit & profundit. Denique quod omnia, quæ sunt, etiā hodie conseruet, & tuetur, & rebus singulis magna sua benignitate bonus pater non modo donauit eas partes & membra, per quæ se vitamque suam commode agūt, sed etiam eos motus, & sensus tribuit, per quos vita hac iucunde, & quadam suavi cum voluptate lubentes fruantur. Quæ singula enume-

enumerare esset infinitū. Itaque vniuersa terra eius bonitate plena esse, & vere quidem affirmatur. Ps.33. v.5. &c multitudo bonitatis Dei eructari dicitur ab ipsius operibus. Psal.145. v.7. *Aperit enim manum suam, & saturat omne viuens ad satietatem & voluntatem.* Et eodem videntur pertinere Psalm. 147. & 148. cui addas licet, Eccl.e.39.v. 27. ut iam recte concludi possit illyd, quod etiam omnes orthodoxi patres senserunt, imprimis autem Tertullianus s̄æpe scripsit, *Deum ex mundi huīus opificio cognosci, ex verbi autem sui predicatione recognosci.*

D. At infinitæ rerum confusiones in hoc mundo apparent, quæ illam bonitatis, sapientiæ & potentiarum Dei lucem obscurant.

P. Tenebras quidem aliquas, & aliquādiu effundunt, ne perspicue a multis cernantur: prorsus tamen neque obscurant, neque delent illarum virtutū Dei vestigia, quæ in suis operibus impressit. Deinde cum eę ipse rerū con-

fusiones quæ dicuntur, sint iusti ipsius
iudicij effecta, si a nobis, quemadmo-
dum oportet, considerentur, etiam il-
lustrabunt Dei potentiam, & sapien-
tiam, nedium ut obscurant.



CAP. XXXII.

*Ex mundi huius aspectu quæ Dei cogni-
tio habeatur.*

D. **A**T Dei cognitione, quæ ex huius
mundi intuitu, & rebus conspi-
cuis haberi potest, estne ipsa per se
~~autem~~ id est, ad plenam Dei notitiam
consequendam satis sufficiens, an po-
tius initiantū quædā eius cognitionis
tradit & continet, quæ nobis est
postea plenius perfectiusque aliunde
quærēda, & ediscenda, nēpe ex Dei i-
psius verbo scripto, & patefacto? Nec
enim ex mundi huius fabrica, Chri-
stus à nobis cognosci potest noster sal-
uator, & mediator apud Deum.

P. Recte sentis. Respondet enim Paulus
Roman.

Roman. i. v. 20. hāc cognitionem, quæ habetur ex mundo, et si vera est, tamē nō esse nobis *αὐτάρκη*, vt salutē in Christo oblatam intelligamus, sed eatenus tantum utilem, quatenus per eā reddamur *αὐτολόγητοι*, id est, inexcusabiles. Docet enim nos Deum creatorē: nō sufficit autē, vt cunctē intelligamus esse nostrū per Christū redemptorē, quia ad eam cognitionē sine prædicatione Euāgelij & verbi Dei peruenire nō possumus. Itaque nō est illa Dei cognitio *επιτηδίη*, in qua nobis est sub sistendū, sed potius *εγχειρίδιον*, a qua nobis est inchoandum, & ad alia meliora & altiora postea progrediendum. Nā Ethnici & Philosophi, qui hanc cognitionem rerum naturaliū maxime sunt sequuti, neque salutis hominum rationem, quæ est in uno Christo perceperūt: neque ipsi salvi sunt facti, quia caruerunt fide. Prodest tamen, atque maxime prodest, vt Deum verum, qui hæc condidit quæramus: & inuētum, si quo pacto ipse dederit, adoremus.

Saltem hoc a nobis etiam nolentibus euincit, eum esse & querendum & collendum, qui haec omnia condidit, & nunc tuetur. Itaque reddit nos si non quaramus, aut non adoremus, inex fabiles.

D. At vero plerique ea inuestigandi Dei viam vel omnino no viderut: vel eam ingressi, Dei gloriam illam, qua commemorasti, non animaduerterunt: vel etiam quanto magis in hac mundi rerumque naturalium cognitione profecerut, tanto securius audetiusque D:ū ipsum spreuerunt, quemadmodum olim Epicurei Philosophi, & nūc adeo nimis multi.

P. Magna sunt ista hominū vitia, & magna peruersitatis humani ingenij accusatio est hec, quam narras, non officis culpa, aut defectus lucis Dei gloriæ, quæ in ipsius operibus inhæret splendidissima. Illa enim lux in hoc mundo satis elucet, & indelebiliter quidem, atque etiā facillime perspicitur, si quis modo ad eam oculos attollat,

tollat, & cōuertat. Nam Deus magna
vbiique in hoc mūdo & illustria illius
suæ bonitatis, potentia, & sapiētię ve-
stigia insculpsit, apertissima etiam te-
stimonia, & quahtumuis rudibus ho-
minibus perspicua documenta obii-
cit, quæ qui non videt, se suamque cæ-
titatem, aut socordiam accuset, non
autem libri nobis a Deo propositi aut
styli huius difficultatem, aut speculi,
(quod in huius mundi contemplatio-
ne splendidissimum habemus) obscu-
ritatem. Nam Psal. 19. satis huiusmo-
di calumniam a Deo, eiusque opificio
summouet, vtpote qui veritatēm suā
in cœlis firmasse dicitur, Ps. 89. vers. 3.
qui bonitatem, qui cætera laudis suæ
argumenta in iisdem cælatura quadā
viuisque coloribus distinxit, & inuf-
fit. Itaque quod tam aperta Dei si-
gna olim non viderunt homines, nec
hodie vident, nec in iis proficiunt ad
Dei cognitionem consequendam, fit
eorum vitio, qui propter peccatum
suum veram mentis lucem amiserunt:

n.j.e

qui si in primo creationis suæ statu mansisset, certe hæc signa nec obscuræ, nec tenuiter cernerent, sed lucide, & perspicue agnoscerent, & summa esse faterentur.

D. Quid igitur, si hic mundus tantarum Dei virtutum speculum est, illudque tam lucidum, tamque clarum, cur alibi homo, cur etiam Christus dicitur esse imago Dei, in qua ille se nobis contemplādum & agnoscendum proponit? frustra enim aliud speculum nobis obiicis, si hic mundus erat tam illustre, quam facis. Colos. i. v. 15.

P. Vnius & eiusdem rei plures esse posse imagines, easque diuerso & dissimili modo si dixerimus, nihil dicemus absurdum. Vnde quāquam illa tria dicuntur esse specula, in quibus se Deus repræsentet, diuersa tamē ratione lataque differentia ita appellātur. Mundus enim nō dicitur Dei imago, quod de homine tamen, & Christo dicitur, quia mundus est tantum speculū virtutum Dei, quatenus earum est subiectum,

iectum, id est, illud, in quo se illæ excrunt, & demonstrant variis modis & effectis. Homo autem est imago Dei, non tantum speculum potentiae eius, sed & naturæ eius quodammodo, quia præ ceteris mundi huius creaturis proxime ad Dei ipsius naturam homo accedit, ac velut ipsius efformationem gerebat in mentis lumine, & voluntatis rectitudine, quam primum habuit. Christus vero qui est Deus manifestatus in carne, qui sine peccato fuit, cui diuinitas inhabitauit, qui tota vita omnibusque modis Dei naturæ specimen, & exemplar per immensam suam potentiam, sapientiam, clementiam demonstrauit, est longe excellētiore modo Dei imago, quam etiam homo iste primus, quantumuis integer & sanus. Itaque mundus nihil quicquam cum Christo simile, & ita expressum habet, qui nobis est non modo bonitatis, sapientiae, & potētiæ Dei imago, & *oxiγενεια* quedā, sed *υποστασις* Patris lucidissimus ipsissimumque cha-

racter. Hebr. i. v. 3. Itaque non tantum
dicitur ~~ex~~ sed ~~et~~ & viuus splé-
dor gloriæ Patris. Et, vt quæ sit quan-
taque differentia, melius intelligatur,
obseruemus, mundū & hominem esse
quidem illustrem, sed tamē adumbra-
tam adhuc speciem earū rerum, quas
nobis de Deo demonstrant. Christum
autem esse exsculptam illam formam,
in cuius intimo, nativo, & substanciali
splendore infinitam Dei potentiam &
incomprehensibilem ~~per~~ & ~~per~~ fine
bonitatem erga nos homines contem-
plari & apertissime cernere possumus.
Itaque in cæteris rebus Deum specu-
lantes & cogitantes, statim, quæ nostra
est vanitas, euanscimus : in Chri-
sto autem eum contemplantes, firmis-
sime solidissimeque subsistimus, & ac-
quiescimus. Ergo nō sunt ista inter se
comparāda, quæ genere, & modo re-
presentationis differunt.



CAP. XXXIII.

Mundi fines non præcipui, duo.

D. **S**ed annon etiam sunt alij mundi fi-
nes?

P. Sunt duo, sed ij minus præcipui.

D. **Q**uinam illi?

P. Primus hic, nempe omnium hominū
vſus. Hominum enim cauſa mundus
hic conditus est, homo autem ipſe
Dei gratia. Alter autem & secundus
Ecclesiæ. Est enim creatus mundus
ut eſſet futuræ Ecclesiæ, quam Deus
habere yolebat, & in cœlum poſtea
traducere, præparatum, & conſtitu-
tum ad tempus, domicilium, & hospi-
tium, in quo proprio quodam iure ſuo
eſſet, & maneret.

D. Vnde iſta probas?

P. Primum quidem ex Psalmo 8. Secun-
dum ex eo quod ait Paulus Roman.

4. v 13.

n.ijj.

2050505020

C A P . X X X I I I .

De modo & machinis, quibus hæc tanta mundi moles a Deo excitata est: & primum de Verbo Dei, quod in mundi huius creatione interuenit.

D. **H**actenus quæ sunt mundi huius causæ explicasti, nunc modū expone, & instrumēta per quæ hæc condita extiterunt. Cum enim de mundi creatione agitur quærunt aliqui, qui vectes, quæ molitiones, quæ machinæ ad hanc tātam molem excitandā fuerint adhibitę, nec sibi satisfactum putant, nisi ad illam animi sui dubitacionem respondeatur.

P. Qui huius mundi creandi instrumen ta quærunt, faciunt imperite, cum ipsa creandi vox hoc totum opus plane miraculosum, & supranaturale esse satis demonstret. Nec enim a Deo vlla instrumenta, vllæve machinationes tan quam ab architecto propter virium infirmi-

infirmitatem fuerunt asciscenda. Sed omnis hæc architectatio omnisque illius modus longe a nostra ratione diversus fuit.

D. Ecquis igitur fuit?

P. In modo huius mundi condendi explicando quatuor fere versantur, quæ prætermittenda nō sunt a nobis, pertinentque ad Dei gloriam, & omnipotentiam illustrandam, e quibus primū est mundum hūc per Dei verbum & iussum extitisse.

D. Vnde id probas?

P. En tibi locus Scripturæ apertissimus Ps.33.v.9. *Quia ipse dixit, & fuit, ipse præcepit, & extitit,* & Ps.148.v.5. *Ipse præcepit & creata sunt.* Deinde Moses Genes.ca.1. vbique ante rerum, quæ singularis diebus editæ sunt, productionē & ortum, diserte verbū præceptumque Dei antegressum commemorat, *Dixitque Deus, Fiat, &c.* Quid, quod Stoici esse caussam totius naturæ efficientem dixerunt, quemadmodum lib.7. in vita Zenonis refert n.iiiij.

Laertius.

D. At obstant duo.

P. Quænam vero?

D. Primum illud quod est Isa. 45. vers. 12.

Manus meæ tetenderunt caelos: ergo non verbo, sed manibus ipsis hæc effecit Deus.

P. Hoc certe manifestissimam metaphoram continet, cum Deo tribuat manus, & nostræ tarditatis ratione comparatur Deus opifici mechanico propriis manibus operanti, qualia multa in Scripturis passim occurrunt. Et cum créadi vox eo ipso loco posita sit, plane nos reuocat ad diuinum illud & extraordinarium Dei opus, illiusque modum cogitandum, quem commemorat Moses.

D. Secundum obstat, quod alibi ubi in pari rerum genere, & argumento verbi Dei fit mentio, tamen sola Dei voluntas eaque tacita intelligitur, non autem verbo ullo, iussuve expressa, veluti Ps. 147. v. 15. & 18. agens de glacie. *Mittit verbum suum, & liquefacit eam.*

Recte

P. Recte dicas. Sed in Genesi aliud dicendum sentiendūque esse docet contextus orationis, & mens ipsa Mosis, ybi diserte scriptum est, Deum loquuntum esse, præcepisseque id oriri, quod fieret. Itaque non tantum nuda tacitaq;ne illic accipienda est Dei voluntas, sed verbi alicuius vocisq;ne ipsius, & iussus prolatione, & emissione patefacta. Quam meam sententiam cōfirmat interpretatio ab ipsa Scriptura facta, quæ verbi, & vocis alicuius emissionem factam fuisse notat. Nam Psa. 33.v.6. Postquam dictū est verbo Dei facta hæc esse, veræ explicationis gratia additur, *& spiritu oris eius.* Est autē vox emissio expiratioque aeris & spiritus, quæ fit ore.

D. Atqui hac ratione Deo linguam, palatum, & dentes affingens (sine quibus vox emitti non potest) videris fœdissimum Antropomorphitarum errorē ab inferis reuocare.

P. Absit vero, ut tam impia quædam de illo infinito, & omnipotente Do-

mino sentiam. Sed quemadmodum cum legem daret in monte Sinai, audiēter, & intelligibiliter loquutus est Dominus, idque nemo negat: cū colloqueretur idem cum Mose, cum itē respōsa per Vrim, & Thumim daret, loquebatur, & vocē emittebat Deus, idque ipso populo audiente, nec propterea tamen lingua, os, palatū, dentes, dininā naturæ affinguntur. Sic neque cum in principio rerum, mundique creatione dicitur Deus loquutus, diuina eius forma, & natura in humānam a nobis mutatur, sed ^{oīkōnōuī} quadam id factum est: sumpsit enim Dominus, & quidem ad tempus, ea quæ ad huius vocis sonum clarum, & perceptibilem edendum fuerunt necessaria, quæ postea desiit habere.

D. Loquutū igitur plane perspicueque Dominum Deum intelligis.

P. Sane. quāquam non ignoro quid de ea re senserit lib. i. de Gene. ad Liter. ca. 9. Augustinus.

D. At vero ad filium quidā ista referunt, cum

cum dicitur Deus verbo suo omnia condidisse, ut per verbum Filium intelligant, quia per eum condita sunt omnia. Colos. i. v. 16.

P. Non repugno, modo mihi cōcedant, ut Filius verbū dicitur, ita ipsius presentiæ, potentiaæ, personæ, atque etiam operationis symbolum hanc vocē fuisse. Id quod etiam Patrem a Filio distinguuit.

D. Cur vero loquutus est, & præcepit illa fieri Deus?

P. Præcepit, ut quæ postea nata sunt, non terræ, non aquæ, vnde prodibant: non cœli, non ullius creaturaæ virtute denique & potestate extitisse intelligeremus: sed solius Domini præcepto, & vi iussus. Itaque illi vni laudem de singulis rebus creatis tribuamus. Loquutus est autem, non quod solius tacitæque volūtatis virtute & decreto non posset formare omnia, qui iam cœlum & terram sine illo effato verbo effecerat, sed cum vellet Deus iam se patefacere, & manifestare per ope-

ra sua ad extra, eum modū adhibuit,
per quē vnum in iis se maxime & cer-
tissime agnosci vult & præcipit, nimi-
rū verbū & vocē suā. Huius autē ver-
bi summa & scopus est Christus æter-
nus æterni Patris Filius, postea in car-
ne manifestatus: itaque recte ex eo
Christum Dei Filium operatum esse
in mundi creatione colligūt. Et quidē
est triplex modus, & liber, per quē
Deus se reuelat nobis, nimirū crea-
turæ, scripturæ, & vitæ. Sed qui Scri-
pturæ liber appellatur, est longe cer-
tior, verior, vberiorque duobus aliis,
itaque primo loco nobis a Deo ipso
propositus est, & exhibitus. De-
nique ut meam sententiam confirmē,
affero quod ait Irenæus, *Deum condi-
disse omnia vocabulo, i. voce lib. 2. cap.
5.* & quod ait Tertullia. *libr. 4. aduer-
sus Marcio. his verbis, Incredibile pla-
ne ut potestas Creatoris verbo remedium
vitii unius operata est, quæ verbo tamā
mundi mollem semel protulit. Vbi verbū
pro voce proculdubio accipitur. & in
epistol.*

epistol. ad Hebræos 1.v.3. Scriptura
vtitur voce p̄p̄ult.



CAP. XXXV.

De luce, que ad mundi creationem adhibita est.

D. **Q**uid autem in modo huius creationis explicando secundo loco considerandum ais?

P. Lucem. Condidit enim eam, tanquam ad cæterorum operum suorum effectio nem necessariam.

D. Cur vero?

P. Tum ut ea tanquam lumine accenso & adhibito confusa illa moles videatur, & in suas partes & membra seca retur: tum etiam quod vis quædam ignea ad madidæ illius materiæ calefactionem & fœcundationem fuit adiungenda. Omnia enim quæ hic fiunt ex igneo quodam calore, tanquam patre accedente, & agente nascuntur. Itaque lux illa prima condita fuit, tanquam il-

lius viuifici caloris externe acceden-
tis fons communis & matrix, qui ad
reliqua producenda instrumentum a
Deo parabatur. Non quod tamen si-
ne ea luce nihil in illa sua mole intue-
ri & cernere posset Deus, qui etiā ho-
die abditissima quæque, & tenebras
obscurissimas videt, & cui nihis pror-
fus est rectum: nō etiā quod eo egeret
organo, qui est per se omnipotēs: sed
ut intelligamus quam magna sapientia
res has visibiles crearit, & quas secun-
das earū causas (quæ etiā nunc cernū-
tur, & agunt) primū constituerit. De-
nique vti in rebus visibilibus cōden-
dis, aliis generis eiusdem rebus con-
uenientissime usus sit, quæ sunt etiam
hodie rerum dignendarum Physicæ,
& instrumentales, & potissimæ, & præ-
cipuæ cauſſæ. tres autem sunt: nimi-
rum madida terra, & ille splendēs, lu-
cidus, & viuificus calor, qui omnibus
rebus adhibetur & conuenit, quod sit
rebus omnibus calor ille naturalis.
Hoc est igitur quod secundo loco in
creationis

creationis rerum ratione tradēda spe-
ctandum duco.

SCSOM 2020

CAP. XXXVI.

*Sine labore & fatigione Dei mūdus his
a Deo conditus.*

D. **V**id tertio loco consideras?

P. **I**stud nimirum, quod sine labo-
re & fatigione vlla Deus
hanc tantam, tamque immensam mo-
lem fabricauit, ne metuant Epicurci
homines quasi Deo molestiam exhi-
beamus, quod ne minimū quidē opus
suum homines sine lassitudine mem-
brorum efficiant. Itaque ex eo quan-
ta sit Dei omnipotentia præ humanis
viribus, facillime apparet. Quod dixi-
mus, dixit I^saias cap. 40. v. 28. Itē Au-
gustinus lib. 4. de Genes. ad liter. cap.
8. Vnde subito cōfestimque edita esse
omnia dicuntur, quæ creata sunt, &
tanquam capitisnutu apparuisse, Psal.
33. v. 9. 4. Esd. 6. v. 48. quia nihil volun-

tati & præcepto Dei poterat obstar.



CAP. XXXVII.

Mundus hic per partes conditus, non simul totus.

D. **Q** Vid quarto loco obseruandum
P. **Q** putas?

Quod per partes, & per sex dies hæc vniuersitas condita est, quē admodum docet Moses, Genes. i. 4. Esdr. v. 44. & seq. non simul tota. Atque ut melius memoriae commendetur, quid quoque die factum sit, hos versus ipsi conscripsimus.

Prima dies cœlum & terram, lucemque creauit:

Altera distendit spatum, discrimin aquarum:

Tertia secernens vndas, dat gramine terris.

Quarta creas solem, & lunam, cœlestiaque astra.

Quinta dedit pisces, eadem genus omne volantum.

*Sexta tulit pecudes, hominē quoque, quē Deus ipse
Condidit, inde operis requies lux septima fulsit.*

D. Cur vero non simul eodemque die
creauit

creauit omnia Deus, qui est omnipotens.

P. Quia est omnipotens, non egebat tempore ad mundi huius cōstitutionem, ut ait Ambr. epist. 39. nō item ^{ad uerapia,} defatigatione, imbecillitateque Dei virium id factum, ut per sex dies conderet: sed quia est sapientissimus, sapientissima optimaque ratione ita per dies aliquot opera sua edere voluit. Nam quę fiunt, ordinem querunt. Ordo autem & tempus & numerum exigit distinctum. Primū igitur hoc ipso nos monere voluit Deus, non confuse, non pr̄turbate se operatum: itaque non perfunctoria, non per trāsennam rāta ipsius opera esse a nobis meditanda, cogitandaque: sed ordine, sigillatim, & particulatim singula. Deinde ostēdit quantam in iis ipsis considerādis diligentiam, animique sedulitatē adhibere debeamus, cum ipse a se tāquam meditatam fuisse sui operis rationem hac dierum & operum distinctione demōstret. Pr̄terea omnia sua

o.j.

opera a nobis nunquam satis comprehendi posse docet, quorum est ea ratio, & productio, & tam late patens, ut habeamus quid in iis per singulos & totos hebdomadæ dies meditemur & contemblemur, & ita per totum annum. Quid enim aliud est annus, quā eiusdem hebdomadæ repetitio? Nam in cuiusque partis & operis effectione tota dies consumpta & definita est. Denique mundū non simul, sed paulatim, id est, per aliquod temporis spatium cōdere voluit Deus, quia statim ab ipsa mundi origine, statum, legem, & ordinem naturalem, quem postea res ipsæ conditæ sequuturæ, habitu-ræque erant, ostendere volebat, nimirum eum, per quem omnia ad ortum suum temporum spatia requirunt, id est, per tempus constituuntur, & producuntur: non autem momento punctoque temporis existunt, quemadmodum videmus. Sic quæ et tetra na-scuntur, hunc ordinem etiam num ho-die seruant, ut non statim & repente, sed

sed per interualla temporis oriantur.
Sic e fœmina partus humani post tē-
pus eduntur: sic et terra fruges nascun-
tur. sic ex arboribus fructus fundun-
tur. nihil autem statim fit, nisi admo-
dū miraculose. Fuit itaque illud crea-
tionis tempus, primordialis rerum in
tempore postea gignendarum lex.

D. Et cur septimo demum die cessauit
Deus?

P. Quia voluit. Nec enim verior vlla af-
ferri ratio potest. Cum autem volue-
rit, iusta ratio est, et si nobis signota. Nā
quę de septenarij numeri dignitate ab
Ambros. epistol. 39. ab Augustino va-
riis in locis, atque etiam a quibuscdam
aliis, denique ab ipsis etiam Ethnicis
Philosophis disputatur, ad Mathema-
ticos, in primis autem Arithmeticos,
& Pythagoricos relegamus.



C A P . X X X V I I I .

De loco ubi conditus est mundus,

o.ij.

HAec tenus quid sit mundus, quæ
eius caussa, quis etiam illius cō-
dendi modus fuerit, explicasti: adde
etiam quæ de loco, tempore, & statu
huius mundi creati quæri solent, ut
concludatur tandem tota hæc dispu-
tatio.

P. Faciam, si ordine de istis interroga-
ueris.

D. Primum igitur quæro de loco, ubi
conditus est mundus, quis & qualis
fuerit.

P. Illum fuisse oportet vacuum quoddā
spatium, quod Græci uocant ~~εντός~~, He-
brei autem Tohu, in quo & creare-
tur, & poneretur.

D. Quid ita?

P. Quia si iam plenus corporibus fuisset
locus, ubi mundus tantaque machina
collocabatur, nō potuisset in occupa-
to iā loco aliud corpus constitui. Nec
enim duo corpora in eodem loco simul
esse possunt. Præterea hoc ipsū, quod
dico, plane confirmatur. Hebrei dicūt
ex Job cap. 26, v. 7. Extendit Aquilo-
nem

nem super vacuū, &c. Etsi enim Deus ante mundum hunc conditum omne illud spatiū, in quo nunc est mūdus occupabat, replebatque vi sua nobis incognita, modoque ineffabili, sicut etiam nunc implet omnia, postquam cōdita sunt, vi & modo suā p̄fentię, & maiestatis & potentię (vnde סְגָנָה Megonah Deus appellatur. Deut.33. v.27. id est, qui omnia implet) tamen huius, quæ per rerum creationē facta est, impletionis respectu, locuſ hic, vbi nunc est positus mundus, vacuum quiddam certe erat.

D. Quid igitur vacuumne in rerum natura esse vis, contra quod tantopere pugnat Aristoteles, & ipsa etiam rerum experientia?

P. Ut vanis Valētinorū de Bytho erroribus (quos Irenēus lib.2.cap.4.& 7. copiose refutat) ansam omnem p̄cidā, sic dico: Ante mundum quidem conditum, huius mūdi locum, & spatiū fuisse vacuum: post conditum autem iam non esse vacuum, sed plenum.

o.ijj.

D. Sed relinquisne vacuum in rerum natura, & mundi huius complexu?

P. Siquidem illud tātum plenum appelles, quod aere hoc, quē vocāt, repleatur, quem nos haurimus, id est, attrahimus, & expiramus, multa sunt vacua nominanda. Nā illud omne mundi, spatiū, quod est supra cœlum lunæ (id autem esse volūt latissimum) erit vacuum. Sin autem appelles plū illud, quod aliquo sui generis corpore & natura occupatur, nullam in toto hoc condito mundo partem vacuam esse dixerim, ac ne eam quidē, quam cœlorum globo & spatio comprehendendi Astronomi docent, sed plenam & occupatam, nō modo quia nihil frustra condidit Deus (hoc enim repugnat ipsius sapientiæ) sed etiam quod tota cœli expansio, quāta quāta est, corpus est cœlestē. Nā vacui loci nullus est in rerum natura iam condita effectus, nullus usus: plurimi autem, iisque pulcherrimi, quotidiie cernuntur ex eo, quod omnia plena esse vult.

vult natura: nihil autē vacuum & inane, vel cucurbitarū medicinaliū usus, fontiū & aquarū in suprema loca deductio docet. Quare qui Philosophi vacuū esse in hoc modo contendūt, nō modo ipsi cerebro vacui iudicioque vacare videntur, sed manifestissime cōtra ipsam rerū experientiam pugnare, quos propterea omittēdos céleo.



CAP. XXXIX.

De tempore, quo conditus est mundus.

Dixisti de loco, age de tempore, quo conditus est hic mundus.

P. Cœpisse aliquando mūdum hūc existere, neque æternum esse, neque Deo coœcum, non tantum sacrosancta verbi Dei maiestas testatur, sed vetustissimorum etiam Philosophorum sententiæ docent, qui quo propius ab ipsa mundi origine absfuerunt, eo melius a Patribus tradita didicerunt, retinueruntque. Nam sic Platonem in Timæo, sic Stoicos omnes sensisse, fin. iiiij.

dem faciunt eorum scripta. Quin etiā primorum scriptorum hic fuit summus consensus mūdum aliquādo cœpisse, quorum antiquissimus, qui vixit etiā ante Orpheū, Linus mūdi, & ortū ipsum descripsit ita ordiens: *Tēpus erat quo cūcta simul sunt cōdita quondam,* quemadmodum Diogenes Laertius tradit.

D. Atqui huic sententiæ tuæ duo in primis obstant, e quibus alterum ab Aristotelicis assertur, alterum ab Epicureis.

P. Quænam sunt illa?

D. Primum est. Cū mundus hic sit sphæricæ figuræ, & rotundæ, in ea neque initium neque finem notari posse: ex quo fit, ut cum etiam moueatur, motu circulari cetur, qui motus neq; principium neque finem etiam habet, sed est motus perpetuus, & perennis: atque idcirco æternus. Quod si æternus est mundi motus, æternus quoque & ipse mundus erit. Atque ita Peripatetici ex figura & motu mundi æternitatem

nitatem ipsius concludunt.

P. Lege plane argumentum. Primum enim quis illis concedet omnes mundi partes circulari illo sphēricoque motu cieri, quando nec ignis, nec aer, nec aqua, nec terra (ut illi ipsi scribūt) hoc motu feruntur: sed ad rectam lineam & perpēdiculum: ignis & aer, sursum. Aqua vero, & terra deorsum. Deinde ut hoc liberaliter illis largiamur, mundum hunc esse sphericæ figuræ, & formæ: quis tamē efficiet propterea motus principium in ea obseruari, atque assignari nō posse? cum non a se, sed ab alio, nēpe summo illo Deo, vel (ut ipsi loquuntur) a prima quadam intelligentia moueatur, & incitetur. Quod autē dicitur in rota, in sphæra, in circulo principium motus non posse designari in hoc potius quam in illo circumferentia puncto, verum tantum est ipsius rei, & figure ratione, nō autem si spectetur manus, actioq; causæ mouentis: cuius ratione in sphæra illud punctum principium motus effic

dicitur. unde primum is mouere incipit, qui illam spheram voluit & ciet. Ergo etsi ipse mundus principiū motus, neque a se habere, neque a sua figura potest, habet tamen a Deo, qui aliquando incepit, & ex certo puncto circunferentiæ certoque loco nimirū oriēte eum mouere & agere in eā partem, in quam voluit, scilicet Occidentem, quia non ipse a se cietur mundus. Etsi autem ignoratur a nobis hodie quānam cœli circunferentiæ pars primum a Deo impulsa est, & commota (vides enim quam multa & varia de magno mundi anno, homines affirment, qui est ille mundi status in quo cœlum, & omnia ad eum locū redibunt, ubi primū creata sunt.) certum est tamen aliquando cœpisse moueri cœlum, a certo aliquo suæ circūferentiæ puncto & parte.

D. Alterum est quod obstat. dicunt absurdū omnino esse, nisi Deus ab eterno mundum condidisse dicatur. Quid enim illi venit in mentem, ut post infinita

finita annorum curricula iam elapsa tandem hæc creare vellet? Quærunt igitur, cur tandiu iners, & otiosus Deus manserit, cur tandiu stertuerit, quid tunc agebat, quid tandiu cessabat, cur nō prius hoc tam præclarum opus edebat? & sane variis fannis Deū afficiunt.

P. Vulgare Epicurei hominis Velleij argumentū refers: cui placet illud respondere quod a quodam Christiano sene lepide dictum scribit Augustinus, qui ab huiusmodi hominum genere interrogatus, quid Deus antequam mundum crearet, ageret, respōdit infernum architectabatur, & moliebatur, in quo curiosos & ista quærētes homines in perpetuum torqueret. Quæ enim est ista impietas tā arcana scrutari velle: quæ impudētia eosque se proripere? Quæ blasphemia, velle ut Deus nobis sui facti præteritæque vitæ rationem reddat, a quo nos iudicari oportet? Quid autem habuit Deus necesse, ut prius ista cōde-

ret, quibus neque eget, ut sit, neque
ut beatior feliciorque viuat. Habet e-
nīm Deus in sese, cumque ab æterno
perfectissimum, felicissimum, & ple-
nissimum naturæ statum, qui sibi ipsi
ad omnia est ~~ad utramque~~, nullius autē rei,
neque Angeli, neque hominis egens.
Ps. 16. v. 2. Sed neque tunc otiabatur
Deus, ne rideant Epicurei, neque in-
ers stertebat, priusquam mundum
istum conderet. sed tūc, quemadmo-
dum etiam nunc, in operibus ad intra
occupabatur, id est, sui iphius contem-
platione mirifice oblectabatur, seipso
suaque illa perfecta & incenarrabili
gloria fruebatur, in suæ essentia latif-
fima incomprehensibilique luce disti-
nebatur, quod ex Proverb. 8. v. 30. &
ex Ioan. cap. 17. v. 4. facile intelligi po-
test. Ita etiam Irenæus lib. 4. cap. 28.

D. Hæc intelligo: dic iam, quo tempore
conditus est hic mundus.

P. Aut de die, aut de mense, aut de anno
istud quæris?

D. Imo vero de tribus his sigillatim.

De

P. De die ita mihi videtur dici posse, initium & primum creandi mundi diem fuisse eum, quem nunc Christiani dominicum appellamus, & qui ab Hebreis prima Sabbathorum dies appellabatur, non autem quem diem Lunae nominamus vulgo.

D. Cur id vero?

P. Quia constat Dominum sex continuis diebus ante Sabbathum, & septimam diem operatum esse: fuit autem apud Hebreos olim Sabbathi & septima dies, ea, quæ a nobis dies Saturni nunc dicitur, quæ diem dominicum proxime antecedit, & diem veneris proxime sequitur. Nam ne Christiani Iudaizare, ut ita loquar, i. veteres Iudeorum ceremonias retinere viderentur, utque domini nostri Iesu Christi resurrectionem pie colerent, ex qua natus ecclesiæ status cepit, pro Sabbatho Iudeorum, diem sequentem ad quietis diem elegerunt, ut appareat ex Act. 20.1. Cor. 16. & Apocal. 1. id quod etiam extat in historia Ecclesiastica,

quem appellarūt Dominicum. At qui
ut ante diem Sabbathi sex dies con-
tinuos numerare habereque possis,
non a die Lunæ, sed a Dominica inci-
piendum est: & sic erūt sex, post quos
erit illa dies Sabbathi, septima, sic. Nē
pe, dics dominica, Lunæ, Martis, Mer-
curij, Iouis, Veneris, post quos dies
est septima Sabbathi dies. Vnde die
Dominica Dominus opus creationis
mūdi cœperit: id quod Synodo quo-
que Palestina confirmatum esse scri-
bit Euseb. lib. 5. Histor. cap. 23. & 25.

D. Sed quo mense videtur tibi mundus
sic conditus?

P. Dicam tantum, quod magis mihi ve-
risimile occurrit, & veniam peto, pre-
caborque, ne quis in eo ipso me cu-
riosum existimet: de hoc tamen dicē-
dum est, quia a multis quæritur. Cer-
te eo mense mihi videtur creatus mū-
dus, qui ab Hebræis dicitur Tifri, re-
spondet autem partim Augusto, par-
tim Septembri nostro (nā post æqui-
noctium Autumnale incipit) ut pror-

sus non assentiar iiis, qui mundum mē
se Martio & veris tempore conditum
scribunt & existimant.

D. Ecqua vero tux sententiæ ratio affer-
ri potest?

P. Multiplex illa quidem. Ac non hæc
modo, quod Autumni tempore terra
ad optimorū fructuū semina recipie-
da magis idonea est, veluti farris, sili-
ginis. Tūc enim videtur ad concipiē-
dum magis apta: quemadmodum ver
no tempore ad pariendum, & æstate
ad fundendum: hyeme enim terra co-
quit semina, quæ recepit, & ea medio
sinu complexa, tanquam mater in al-
uo format, & fouet ea velut fœtus
suos, quos postea tāquam grandiores
veris tempore in lucē producit, æsta-
te iam plane perfectos maturos edit.
Itaque ver & æstas magis obstetricices
manus, quam vim prolificam terræ af-
ferre videntur, quam tamen vim iniici-
cit eidem terræ Autumnus, veluti pri
mæ rerum creationis, primæque suæ
rerum productionis adhuc memor &

veteris præcepti Dei illo tempore si-
bi facti vigorem, effectum, & energiā
ad hoc retinens. Vnde mensē hunc
Tifri appellatum. Hebrei volunt, non
a musto: sed a succo, quē maxime tunc
terra habet. Sed huius mēt sententia
hēc duplex ratio est. Prima, quod, vt
docet sacra Scriptura Leuit. 28. v. 9. &
seq. hic mēsis fuit semper etiam a pri-
ma hominū ētate, quam longissime
repetatur, anni principium, & mensis
primus. Itaque in contractibus, in ne-
gotiis publicis & priuatis, in ipsa de-
nique mundi ētate supputanda (quod
per Iubileos annos fiebat) anni ab hoc
mense apud Priscos & Iudeos inci-
piebant, in hoc etiam finiebant. vnde
Adami ētas, & reliquorum Patrum,
qui ante diluvium, & postea vixerūt,
anni vitē ab hoc mense sunt nume-
randi & supputandi. Altera ratio
est, quod festū tubarum & clāgo-
ris, quod prima huius mensis die fieri
Lege Dei iubebatur, ea maxime de
cauſa videtur a Deo præceptum, vt
primæ

primæ rerum originis & mundi creationis eo mense factæ memoria sancte in Ecclesia conseruaretur, & coleretur. Nec frustra eum diem festum esse voluit Dominus, neque tubis istis & instrumatis tantum honoris deferri præcepit, quas tunc maxime vexatas & inflatas fuisse legimus: sed hoc tam læto sono homines, mundumque vniuersum primæ suæ nativitatis voluit admonere, quæ vt in prima huius mensis die Dei voluntate incidit, ita pie eadem die repetebatur, & cōmemorabatur in Ecclesia, vt genethlia con suorum mundus meminisset: ex quo factum est vt multa festa hoc eodem mense septimo fieri a Deo iubarentur, & dictus sit etiam hic mensis Actanum, id est, fortius mensis. I. Reg. 8.v.2. Quid, quod Christum eodem mense natum quidam cōtendunt, nee sine ratione?

D. At dicitur Nisan fuisse primus anni mensis Exo, 12.v.1. qui nostro Martio, & Aprili respōdet, & in equinoctium

vernū incidit.

P. Recte meministi. Sed ad illud duplicitē respondeo. Primum nō semper Nisan aut Martium fuisse anni principium, sed demum postquam populus Israel ex Aegypto egressus est, ad tantū Dei beneficīi, id est, nouae fundationis, & instauratiōnis illius gentis memoriam celebrandam, & conseruandam. Deinde nō omnium rerum, quæ in populo Dci fiebant ratione, Nisan mensis fuit initium anni, sed tantum sacrorum, festorumque dierū, & tabernaculi ratione. Habuit enim tabernaculum utisum sicut peculiare, & a communi diuersum: ita proprium & peculiare anni initium, a politici anni ratione differens, ut iam tunc inteligerent homines Politici & Ecclesiastici regiminis discrimē constituendū esse, rationem utriusque diuersam, & naturam separatam distinguendam.

D. Quotū vero iā annū numeras ab eo, quo conditus est primum mundus?

P. Ut plerique existimant a mundo cōditō

dito ad hūc annum 1574. quo ista scribimus, effluxerunt anni circiter quinque millia quingēti, & quinque.

D. Quomodo vero hūc numerum inis, aut qua ratione colligis?

P. Breui quadam hac ratiocinatione: a mundi creatione ad vniuersale diluvium, quod sub Noa contigit, numeratur ex sacræ Scripturæ historia anni 1656. A diluvio ad promissionem Abrahamo primum factā a Deo, iussionēque de egrediendo ex Vr Chaldeorum & Charris vrbe Mesopotamiae fluxerunt anni 427. Ab illa promissione ad exitū filiorū filiorū Israel ex terra Aegypti, qui fuit sub Mose, sunt anni 430. vt est Exodi 12.v.40. ab exitu de terra Aegyptiorū ad Salomonici tēpli inchoationē, quæ cœpit anno quarto regni Salomonis intercedūt anni 480. vt est 1.Reg.6. A quo tēpore ad trāsmigrationē populi Iudai ci in Babylonē & captiuitatē sub Babylonii, eā dico quæ sub Rege Iochimo cœpit, sunt anni circiter 167.

p.ij.

paulo minus. Mansit populus in ea captiuitate per annos 70. ut prædixerat fore Ieremias cap. 25. ab egressu Iudæorum de Babylonica seruitute & a die edicti Cyri de liberandis remitté disque in patrium solū Iudæis, usque ad Christum pasuum sunt hebdomades annorum septuaginta, id est, anni 490. ut scribit Daniel Propheta. Dan.9. A Christo autem passo ad nostra usque tempora sunt anni 1575. Ergo si omnes hi numeri in unam summam colligantur, efficiet annos 5503. id est, quinquies mille quingentos & tres, quanto temporis interuallo a prima mundi creatione hodie distamus atque absimus: quanquam Hebreorum rabini ab hac annorum summa dissentient, sed nos & Scripturā sequimur, & doctissimos viros, qui de hac re verissime scripsierunt.

205050505020

CAP. XL.

Mundus hic bonus a Deo conditus.

Ista

D. Ista intellexi: perge ad reliqua quæ proposueras, teque dicturum promiseras.

P. Quænam illa?

D. Tandem expone, qualis hic mundus a Deo fuerit conditus.

P. Facile, vnoque verbo rem totam expediam. Bonus conditus est non tantum vniuersus, sed etiam singulæ eius partes. Nam aperte diserteque post cuiusque diei opus addidit Moses, *Et vidit Deus quod esset bonū, & ita est Genes. cap. i. scriptum.*

D. Quid vero illa bonitas complectitur & significat?

P. Non morum quidem, aut vitæ sanctitatem, neque conscientiæ integritatē. Plurimæ enim mūdi huius partes, neque sensum, neque animi rationem, neque conscientiam habent, sine qua vitæ sanctitas esse non potest. Quare hæc vox, *Bonū*, mihi videtur tria præcipue denotare.

D. Quænam vero?

P. Primum naturarum a Deo creatarū
p. iij.

totiusque ipsius mundi integritatē, secundū pulchritudinē, tertiu vtilitatē
hac voce designari puto. Nam quæ integra, sanaque sunt: que item pulchra:
& quæ etiam vtilia, appellantur bona, idque communi omnium hominum
consuetudine, quanquam Augusti. in lib. De Natura Boni contra Mani-
chæos, præter istarum rerum essentiam sive substātiā, hæc tria tanquā
vniuersalia quædam bona constituit, modum, speciem, & ordinem, de qui-
bus ait: *Hæc ergo tria ubi magna sunt, magna bona sunt: ubi parva sunt, parva bona sunt: ubi nulla sunt, nullum bonum est.*
Sed nostram potius sentētiā sequimur: ut huius sentētiæ, quia bona erant,
vim & mentem teneamus.

D. Explica igitur te ipsum.

P. Mundus hic quæque in eo creata sunt singula bona erat, si qualia a Deo pri-
mum condita sunt, cogitentur, naturæ ipfius ratione. Habant enim eam
tum integrum, & plenam, id est, nulla
sui parte deficiēt: tum etiam pror-
sus

fus sanam, & validam, nō autem qua-
lis nunc est, infirmam, ægram, & vulne-
ratam. Itaque & cæli & terræ perfe-
ctissima erat natura, itemque omniū
animalium, herbarum, rerumque cæ-
terarum a Deo creatarum, & vires ve-
getæ, robustæque, nō quales nūc, sau-
ciæ & valetudinariæ, quæ vix se susten-
tant, suoque munere ægre funguntur,
ac ne semper quidem. Deinde si pul-
chritudo earū rerum, totiusque mun-
di spectetur, qualis primū factus est,
cuius ratione, & bonus ipse erat mundus,
& singulæ eius partes bonæ. Ha-
bebant enim in seipsis mirum formæ
specieique etiam externæ decorem,
& elucētem ornatum, delectationem
oculorum, & iucunditatem, atque e-
tiam legitimam membrorum omniū
in quoque corpore proportionem &
conuenientiam, cuius ratione (quia e-
ius vestigia multa reliqua sunt) etiam
nunc ab ornatu mundus ^{nō sicut} a Græ-
cis est appellatus. Sed totius etiam
ipsius mundi ratione habuerunt ad-

mirabilem ordinem. Nam quæque
res suo aptoque loco, a Deo sapienti-
sime collocata est, & inter se omnes
summa concordia & mutua quadam
benevolentia mirifice consentiebant.
& cœlum terræ respondebat, & terra
cœlo, quatenus & quando oportuit
vnū alteri seruire: quæ nunc, sparsa
per peccatum discordia, se raro iuuat,
nec dat cœlum aquam suam tempesti-
uā terræ, nec mature terra cœlo ha-
litus & vapores, quando necesse est,
subministrat. Denique ipsa rerū, qua-
les a Deo sunt creatæ, utilitas fuit sum-
ma, cuius etiam ratione mundus & e-
ius parres singulæ bonæ dicuntur. Nā
sanctæ erant singularum vires, & validæ
ad id producendum & efficiendum, ad
quod erant a Deo destinatæ: fertiles
erant, quia vim benedictionēque Dei
illis datam, integrum non delibatam
retinebant adhuc, nondum peccatū
impediebat, aut eam imminuerat:
quæ nunc pene sepulta est, & mortua,
ut ne minima ex parte nobis appareat,
maxime

maxime hoc senescente, & ad decrepitam etatem vergente seculo. Miserentque tot & tantæ Dei dotes in omnibus craturis perpetuo, si peccatum hominis non interuenisset.



CAP. XLI.

Mundus hic qualis hodie post peccatum.

D. **Q** Valis igitur nunc est hic mundus post Adami peccatum?

P. Qualem vno verbo describit Paulus, *Nimirum, ut creatura nunc sit vanitatis spiratio id est, vanitati subiecta.* Itaque spirat, & gemit, expectans instaurationem filiorum Dei. *Roma. 8. v. 20.* Adeo ut haec vanitas illi bonitati, in qua primæ res sunt creatæ, sit contraria.

D. Quidigitur, peccatum ne hominis rerum essentiam & naturam aboleuit?

P. Nequaquam, sed integritatem eius sanitatisq; imminuit. Nam peccatum tria maxime induxit, quæ sunt tribus illis superioribus dotibus opposita. Nem-

pe debilitatem, & tanquam morbum
in viribus naturalibus ~~ārogias~~ & differ-
sum quendam inter res ipsas in ordi-
ne & cum sibi opportune non respon-
deant, sterilitatem, siue fœcūditatem
in fœtu fructuque suo proferendo, &
gignendo. 4. Esdr. 5. v. 52. adeo ut quo-
tidie decrescat terræ cæterarumque
rerum ybertas, & vires, nedum ut ex
sint eius vires, quales primū a Deo ex
habuere, idque sit prop ter peccatum
hominis, vt facile colligi potest ex Ie-
rem. 4. v. 24. 25. Denique factus est pro
pterea mundus hic totus confusus si-
ue caligo, maxime autem inferior &
elementaris hæc ipsius pars Job, 10. v.
21. 22. caduca siue transitoria, vt est
Prouerb. 31. v. 8. & 2. Pet. 3. v. 10. ut ali-
quando perire posset.

D. Quid vero ante peccatum hominis,
nonne erat mundus hic mortalis &
periturus?

P. De eo quid dicam non habeo, quādo-
tihil me docuit Scriptura, vnum mo-
do hoc affirmare possum, per se qui-
dem,

dē, & qua ratione erat creatura, mutabilem fuisse hunc mundum, nisi a Deo sustentatus fuisset: sed vtrum in perpetuum fuerit a Deo sustentādus, si homo non peccasset, nō dicam. Homo quidem, cuius tāquam domiciliū creatus erat ipse mūdus, futurus erat et si inextirnabilis, vt loquitur Augustinus post librum sapientiæ in lib. De Agone Christiano, tamen in cœlum melioremque fortē alius post alium aliquando transportandus. Sed vtrum in mūdo semper aliqui fuissent homines, nec vñquam vivere hic aliqui desissent, hoc ignorō.



C A P. X L I I .

Venena & res noxiæ vnde in mūdo natae.

D. **A**T si tam bonus primum cōditus acst hic mundus, singulaque eius partes: vnde venena, vnde tot noxiæ, & lethales herbc, vnde tot vel solo visu oculorum pestiferi hominibus scr-

pentes nati sunt.

P. Ex peccato, & propter peccatum hominis tot hæ pestes, venena, noxiæque herbæ, & feræ sunt natæ, vt indicant Domini ipsius verba apud Moysen, Genes. 3. v. 18. Nihil enim a Deo primum conditum est, quod esset venenum, & cuiquam lethale, noxiū & incommodum. Itaque si res in ea natura mansissent, in qua primum sunt a Deo optimo maximo creatæ, nulla nunc essent neque mala, neque venena. Nec enim ab eo qui summe bonus est, quicquam, nisi bonū fieri, aut proficiisci potest: sed neque hodie quicquam est pure omniqueratione venenum, sed quod vni rei incommodum est, & noxiū, veluti homini, est alteri utile & salubre uti serpenti.

D. Intelligo. Sed post peccatum hominis cur venena, noxias, herbas, & feras esse, & restare vult Deus?

P. Multæ sunt rationes, imprimis autem hæ duæ, quas affert Augustin. lib. 3. de Gene. ad liter. cap. 17. Primum ad hominis

minis vindictam, & pœnam ista durat.
Itaque illa omnia nocet homini, propter cuius peccatum sunt venena. Deinde ad eiusdem hominis temptationem & exercitium profunt, ut suam imbecillitatem homo agnoscatur, & a Deo auxilium petat. Sed haec quoque tertia ratio afferri potest, quod illæ herbae, quæ sunt homini noxiæ, qualis cicuta, aconitus, colocynthides, sunt ipsius terræ mali succi, & velut excrementa quædam, quæ eiici omnino necesse est, ut ceterorum terræ fructuum succus sanus, & syncerus restet, atque etiam nobis salubris & commodus.

D. Sed si quæ Deus primum creauite, rati tam bona. (Nam non modo bona, sed etiam valde bona dixit Moses) quæ inter Deum ipsum, & eius opera differentia statuetur?

P. Triplex discrimen, id est, latissimum, & maximum inter ea nihilominus apparet. Nempe quod Deus a se, summe, & incōmutabiliter bonus est. Res autem creatæ non a se, sed a Deo: non

summe, sed quātum modō fert earum natura, non incommutabiliter bonæ erant, ut ab ea decidere non possent. Neque enim ea bonitas vñquam in iis periisset, & in vanitatem commutata fuisset, si fuissent incōmutabiliter bonæ. Sed ne dubitemus eas bonas fuisse, diserte hoc addidit Moses, *Vidit Deus quod esset bonum.*



CAP. XLIII.

Bona cur diserte dicātur fuisse, quæ creata erant.

D. **C**VR vero diserte hæc addidit Moses?

P. Duplici de cauſa. Ne hæc Dei opera visibilia perfuctorie & leuiter, ut multi faciunt, transeamus, quasi nihil magnopere excellens, aut eximiū habeant, quo nos rapi oporteat. Habent enim, idque ipsū nobis testatur Deus ipse. Ac multominus, ne Momum illū hominem blasphemū, aut Manicheos hæreticos, Marcionitasq; imitati, hæc & ima,

Dei tam egregia opera damnetus,
vituperemus & rideamus propter eā,
quæ nunc in illis est propter pecca-
tū hominis, ~~et cetera~~. Id quod sine ma-
gna Dei ipsius iniuria fieri nō potest,
& cū id facimus, nomē Dei sumimus
in vanum. Itaque Manichēi damnādi,
& quicunque alij creature ipſas per
ſe & quales a Deo factae sunt, malas
esse cōtendunt. Nam est falsissimū. I.
Timoth.4.v.4. Præterea, hæc admo-
nitio atque sententia facit ne idem
nunc disputemus, quod curiosi quidā,
vtrum Deus vel res singulas: vel uni-
uersitatem ipsam melius, aut meliorē
efficere potuerit, quam creata primū
est. Hoc enim scrutari & querere,
quid aliud est, quam positas hic nobis
a Dei Spiritu metas transilire, & ani-
mo nostro peregrinanti indulgere?
Nam Deus omnia quæ condidit, val-
de bona fecit. Denique hæc ipsa com-
monefactio apprime vel eo nomine
nobis vtilis est, ne temere his Dei crea-
turis (quæ ſæpe nobis viles videntur)

ad nostram libidinem, luxumque intemperates abutamur, quas tam pretiosas esse sanctus ipse Spiritus pronuntiat. Quare his ipsis sobrie, modeste, & prudenter sane est utendum.

D. Cur vero haec eadem oratio, *Et vidit Deus quod esset bonum, in aliquarū die rū, vti secundā diei, opificio prætermissa est?*

P. Quod illa dies totius operis, quod postea factum est, inchoationem tātum, nondum autem consummationē continet. Itaque ea benedictio ad extremum usque operis differtur.



CAP. XLIII.

Bina & ibi contraria quadam, Vtrum in primarerum creatione fecerit Deus.

D. Sed quia de statu in quo primum mundus hic conditus est agis, hoc etiam expone, vtrum in primis rebus conditis vera sit illa sententia, quæ facta sunt a Deo, bina, & sibi opposita creata esse, vt unum alteri aduersaretur. Itaque aiūt frigida & calida, alta,

& imber, & alba, & nigra, parua, & magna, primum condita esse, ut vires rerum mutuo quodam inter se temperamento conseruarentur. Hoc scriptum est Eccles. 42. v. 25. & 33. v. 15. Id quod etiam Augustinus lib. II. de Ciuitate Dei ca. 18. & Irenaeus lib. 2. cap. 43. sequuntur.

P. Verum est quod dicis. Neque enim unius qualitatis, coloris, magnitudinis omnia a Deo primū facta sunt, uti nec unius generis vel naturæ: sed alia fuerunt imber, alia summa, alia humida, alia sicca, alia frigida, alia calida, aliud dies, aliud nox. Nihil tamen malum a Deo factum est. Cur autem tam varie Deus hæc crearit, ratio est, tum quod in ea varietate maior Dei potentia & sapientia elucebat: tum quia res ipse hac contrariorum virium, & naturarum mutatione & mitigatione faciliter conservatur. Quid enim obsecro, rerum status futurus erat, si omnia calida essent? Quis stupor, si omnia frigida? Quæ miseria, si semper tenebrae? Quæ lassitudo, si semper dies? Itaque cum huius

q.j.

mundi, & rerum quæ in eo conditæ erant, naturas Deus condidisset vicissitudine quadam recreandas, & subleuandas, quia corporeæ erant: itemque mutuo quodam nexu & temperamento fouendas, quia diuersæ ciudem totius partes erant, cōtrarias qualitates illis indidit, ut aliæ aliarum essent cohibitiones quædam, fræna, & temperamenta. Denique, ut quædam vicissitudo in his rebus inesset, vnde earum differētia ab Angelis, denique ab ipsa Dei essentia perspicue intelligeretur, qui nullis huiusmodi ad sui conseruationem mediis eget. Sic ciuitas bene constituta, variis tamen ordinibus cōstat, variisque hominum generibus, pauperibus, diuitiis, subditis, præfetis, adolescentibus, agricolis, militibus, qui omnes sunt quidem statu inter se diuersi, & dissimiles, & saxe etiā repugnantes: & tamen ad mutuam salutem & conseruationem totius ciuitatis necessarii. ex eoque ipso fit ornator atque abundantior ciuitas, & ad vitæ

vitæ huiusvſus aptior. Itaque hāc ſen-
tentiā p̄eclarissimō Tertullianū teſti-
monio cōfirmabo, qui in Apologeti-
co cap. 45. ſic ait, *Quæ ratio vniuerſitatē*
ex diuerſitate compoſuit, ut omnia a mul-
tis ſubſtantiiſ ſub unitate comparent ex
vacuo & ſolido: ex animali & inanimali:
ex comprehensibili & incomprehensibili:
ex luce & tenebris, & ipſa vita & morte.
Nec propterea fauemus Manichæo-
rum errori, qui initio rerum duas gā-
tes fuiffe contendunt, quę ſeſe mutuo
affligerent, lucis & tenebrarum. Vnus
enim & idem & ſolus Deus eſt, qui
omnia condidit, & hāc ſibi ~~invariabili~~ ad
totius operis conſeruationem ſapien-
tissime iſtituit, & comparauit.

D. At vero iſta rerum varietas ſummam
discordiam inducere videtur, cum o-
porteret tamen mundum hunc, tan-
quam vnum quoddam totum, parti-
bus ſibi mutuo plane cōſentientibus,
& amice inter ſe coniurantibus exæ-
difcari & coalescere. Quod ne fiat, vi-
detur hęc contrarietas reram obſtare

q.ij.

maxime.

P. Non recte colligis. Neque enim ista rerum dissimilitudo, & qualitatū proprietatūque etiā contrariarū varietas discordiam inuehit, imo vero summā harmoniam, summumque consensum inducit, & retinet. Quemadmodum in corpore humano ipsa mēbrorum diversitas & vis, actio, motus, locus, functio sēpe contraria summam concordiam inter membra ostendit, estquē ad totius corporis vitam, subministratiōē, & defensionem necessaria. Hoc idem fit in hoc mundo, qui est vnum quoddam cōplexum, & corpus. Cur autem hæc rerum dissimillimarū discordia sit tam concors, tamque sibi consentiens, & vna tam firma & perpetua, fit summa & incomprehensibili Dei Opt. Maxim. sapientia, qui hæc omnia inter se optime, quemadmodū oportuit, contemperauit, & fecit cum ad sese, tum ad aliarum rerum rationem, & comparationem apto ponde- re, numero, & mensura, vt est Sapien. II.v.21. & docet postea Augustinus li.

4. de Genes.ad Liter. Quod autē pondus, qui numerus, quæ mēsura ea sit, quæcū eius cōtemperationis proportio, propter quam mundus hic in suis partibus est tam cōcors & cōcinnus. quanquam anxi Philosophi disputat, neque tamen ab iis inventum est, neque explicatum. Deus ipse nouit, atque is solus.



C A P. X L V.

*Post mundi creationem quomodo dicatur
Deus cessasse & quenisse.*

D. **V** Num modo restat quod querā.

P. **V** Quidnam illud est?

D. Vtrum Deus ex eo tempore, quo mundum hunc absolvit, res aliquas omnino creare cessauerit, cum animas hominum quotidie creare videatur ex nihilo, & usque nunc operetur ipse, quemadmodum docet Christus Ioan.

5.v.17.

P. Facilis responsio. Huius enim tantum mundi & operis, quod tūc facere Deus instituerat, ratione dicitur cessasse, id q.iii.

est, quemadmodum etiā respōdet Augustinus lib. 4. de Genes. ad Literam. Non autem omnino & absolute, quasi neque mundum hunc a se factum nūc regat & administret Deus, neque noui quicquam amplius creare iam possit, quādo nihil eorum quæ nunc fiunt, nisi eo agente eueniāt: cuius benignissima prouidentia omnia a se creata semper gubernauit & gubernat: cuius infinita potentia singula in singulis operatur & agit, quemadmodum docet Paulus Ephes. r. v. 23: cuius denique vires, neque temporis vetustate debilitate interierunt, quo minus creari quotidie multa possint, neque sunt languidiores effecte. Ergo creat adhuc multanoua Dominus, videlicet hominum animas quotidie: sed totum illud opus suum, & institutum a se mundi huius πληρωμα, & ornatum, omnibus suis partibus consummatissimum, & perfectissimum sex illic diebus Deus perfecit; & absoluit: septimo autem die quieuit. Nullū autem, ut ait Angustinus, operum suorum diem

diem sanctificauit Deus, sed solum quietis diem, ut intelligeretur Deus esse beatior suis ipsis operibus. Nullo enim opere suum delectatus est, ut seipso. Vnde quietis sua, non operis diem sanctificauit. Et quoniam ad quietem Dei peruenimus, & nos quoque hoc loco quiescamus, & suscepimus disputationem finiamus. Quæ de prima mundi creatione & rerum origine in uniuersum dici videntur posse, & ad physicā Christianā pertinent, sunt fere a nobis explicata. Gratias vero Deo agim⁹, qui, ut hęc om̄ē taremur, animū & vires suppeditauit.


Errata sic corrigito.

Pag. I huius 4 vñage 10 opus est 14 secoli 23
et p̄p̄st 26 nullis aliis 42 utrūq; 43 illustratur 74 numero tam̄ 78 rōiundum esse 94 laudes excludit 98 D. At 100 accedēte illis xādītū 106 ecqua uoi pavos 115 angusta 116 ordinariū modum 117 distinguit 122 vi res 134 cōcompetitione 136 alias posset 139 vel abyssi 143 etiam 143 addit. P. Cerie 146 quam elegit 153 superficiem sustentaret. 154. vnam eius 156. sed verbo. 166. vel ianua 168. etiam iamin. 169. quoque territorio, 171, vera tamen. 186. eodem toto. 188. ea maior 193. asciscenda, 202. diuina, 204. ab iis. 106. cui nihil.

In inancem mundi Philosophiam.

*Quidnam suspicitis mortales vana sophorum,
Et teritis totos, sed sine fruge, dies?
Qui ratione volunt humana cuncta doceri,
Huicque subesse Deum, quicquid & orbis habet.
Dogma fatis non est natae ad caelestia ments
Quod ratio dicit, lumine fulta suo.
Nec natura sagax hominum primordia rerum
Monstrat, sed summi mystica verba Dei.
Informant mentes, haec sunt documenta piorum.
Hec animos nostros sola beare queunt.
Caserat ventosos patiunt, gemitosque saurores
De mentis vulgi, ludicra queque ruunt.
Ergo Christicole physicien hinc discite veram:
Vos similes summo reddet & ipsa Dco.*

Tussanus Ducretus Medicus
L. Davao D.D.



OCN 461634720

